sacram. privaretur fideles ad salutē adeò necessario, ita institutū est.

362 Ad fundamentū oppositæ sententiæ jam absolutæ neganda est minor de judicio sacram. quod ad certam verborū formā limitatur, ad quam cætera judicia non sunt limitata; constat ex dictis n. 366. hoc enim judicū specialiter ita fuit à Christo institutū, prout sacram. naturæ, & tenori congruum erat, & ita etiam propriæ rationi hujus sacram. judicii congruebat, quod non ex aliorum accusatorum dicto, vel testium peragitur, ut judicia humana, sed solius ejusdem rei, neq; ex deductis, & probatis in foro externo, sed ex statu, & dispositione præsenti ipsius pœnitentis. Ad Confirmationē negatur minor, ad cujus probationem negatur assumptum, cæterùs enim per hanc quoq; formam in hoc judicio sacramentali absolvere possumus: *Absolvo Petrum*, vel *Petrus absolvatur*, quatenus ex circumstantiis intelligitur de Petro personaliter præsente, alioquin non esset forma æquivalens formæ essentiali, *Te absolvo*, unde sensus est, absolvo hunc, qui vocatur Petrus, qui sensus pariter requirit præsentiam, sicut in forma baptismi apud Græcos dicendo, *baptizetur servus Christi*, sensus est, *hic servus Christi baptizatur*, æquivalenter ad formam Latinam *Baptizo te*, & quamvis etiam scribens per epistolam alloquatur absentem per pronomen *Te*, non tamen voce, ut necessarium est in forma absolutionis.

Ad ultimum, negatur assumptum præsertim quoad secundam partem, quia utilitati, ac etiam alicui raræ necessitati præpōderabat firmum instituere, & universalem modum hoc sacramentum administrandi, nec aditum relinquere alicui exceptioni, quæ ad plura alia incommoda viam aperire potuisset; Jamque *num.* 353. dictum est, non tantam in hoc sacramento urgere necessitatem, quanta urget in baptismo, cùm enim parvuli sint rationis incapaces, non nisi per baptismum alicujus manu sibi ministratum ab originali poterant expiari, ideòque expediens fuit, ut à quolibet ministrari posset; at cùm non nisi adulti sint pœnitentiæ capaces, possunt sibi etiam per contritionis actum consulere; atque ideò ad plura incommoda vitanda expediens fuit, ut absolutio pœnitentibus non aliter, quàm à Sacerdote præsente posset impendi.

QUÆSTIO DECIMATERTIA.

De Vi, & effectu Sacramenti Pœnitentiæ.

363 Vis sacramenti consistit in significando, & conferendo spirituali effectu, & quidem vis, & effectus communis omnium sacramentorum novæ legis Evangelicæ est conferre sanctificantem gratiam, ut constat ex dictis *Isp.* 1. de sacramentis in genere, quare juxtà hanc regulam generalem omnibus sacramentis communem hoc sacramentum vim habet conferendi hujusmodi effectum; Effectus autem proprius hujus sacramenti, quem expressè, & peculiariter significat, prout à cæteris distinguitur, est remissio peccatorum post baptismum commissorum, ad hunc enim finem propriè institutum est per modum judicii, ut suprà dictum est, omnesque ejus partes confessio, absolutio, & satisfactio ad hunc effectum ex divina institutione significandum, & conferendum maximam habent proportionem; sed circa hanc ipsam peccatorum remissionem differunt Theologi, an hoc sacramentum vim habeat remittendi peccata proprie quantum ad culpam, ità ut Sacerdos per hæc verba: *Ego te absolvo*, verè pœnitentem à peccatis absolvat; hoc igitur breviter in hac quæstione discutiendum est.

ARTICULUS PRIMUS.

An per sacramentalem absolutionem verè pœnitens absolvatur à peccatis, etiam quoad culpam.

364 Solet hæc quæstio etiam sub alio titulo proponi, an potestas clavium se extendat ad remissionem culpæ. Negarunt antiquiores quamplures Magister sent. Ugo de S. Victore, Ricc. Alens. Ocham. Altisiodorensis, Major, Gabriel. & alii Nominales, qui propterea dixerunt, requiri contritionem ante suscleptionē hujus sacramenti; nempè ut inveniatur culpa antecedenter remissa, variis autem modis conati sunt explicare hujus sacramēti effectum, & in quo sensu forma absolutionis verificetur. Magister, Mairon, & quidam alii dixerunt, effectū absolutionis in hoc consistere, quòd Sacerdos declarat, & pronunciat, peccata esse remissa à Deo, quia solius Dei est peccata remittere Isaiæ 43. Sacerdos verò per absolutionem sacramentalē offendit, pœnitentem esse absolutum in facie Eccles. itaut sensus verborum absolutionis sit: *Ego te ostendo, & declaro absolutum per contritionem præcedentem*. Alii verò dixerunt, Sacerdotē absolvere à pœna æterna debita peccato, postquàm Deus solus jam priùs remiserat culpā ante sacram. ita Ugo, & Riccard. Alii, ut Alensis, dixerunt, potestatem Sacerdotis non se extendere ad absolvendum à culpa, nec à pœna æterna ex opere operato, sed tantùm à pœna temporali, quæ aliquando dicitur absolutio à peccato juxtà illud 2. Machabæorum *sancta ergo, & salubris cogitatio est pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur*. Alii tandem dixerunt homines absolvi à culpa, & pœna per absolutionem Sacerdotis, non reipsa susceptam, sed in voto, undè quando posteà proferuntur verba, homo solùm liberatur ab obligatione confitendi, quam retinuerat, ita Gabriel, & Ocham.

365 Vera tamen, & communis sententia docet, proprium, primarium, ac per se effectum hujus sacram. & potestatis clavium esse remittere peccatum quoad culpam, ita D. Th. cum omnibus Thomistis q. 86. a. 6. & Scot. cum omnibus Scotistis 4. d. 14. q. 4. a. 3. & d. 19. q. un. ubi ex professo contra Magistrum ostendit, hoc sacramentū principaliter habere vim remittendi peccata, quantum ad culpam, & hoc esse primarium ejus effectum, ita etiam alii Scholastici, & Morales Auctores, qui propterea dixerunt, non necessārio præerquiri cōtritionem pro dispositione ad hujus sacram. susceptionem, sed sufficere attritionem, & hęc sententia est adeò hoc tempore certa, & plausibiliter ab omnibus recepta, ut oppositam erroneam putent Suar. Vasq. Lug. Amic. Aver. & alii Recentiores, nam censetur damnata à Trid. *sess.* 14. *can.* 9. *illis verbis, Si quis dixerit, absolutionē sacramentalem Sacerdotis non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronunciandi & declarandi remissa esse peccata, &c. anathema sit*. Atque in Bulla Pii V. & Greg. XIII. contra Michaelem Bailum damantur quædam propositiones illius Doctoris, in quibus dicebat, Sacerdotem absolvere solum à reatu pœnæ.

Primò itaq; probatur hæc veritas apertè ex ipsis Christi verbis Io. 20. *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, quę in proprio, & rigoroso sensu significant remissionem peccati, etiā quoad culpam, & similiter quādo dixit Matth. 16. & 18. *quacunq; solveritis super terram, erunt soluta, & in Cælis*, utiq; primariò de peccatis intellexit quantum ad culpam, nam illa universalis omnia vincula comprehendere videtur, & hoc idem sonant ipsa verba formæ: *absolvo te à peccatis*, & judicare videtur nomen ipsum clausūm regni Cælorū, quod potissimè per culpam mortalē clauditur, & per ejus remissionē aperitur. Cùm ergo Christus nō dixerit, quorum declaraveritis, remissa esse peccata, vel quorum remiseritis pœnam, & debitum, nec dicat Sacerdos, declaro te absolutum, aut tibi remissa fuisse peccata, neq; dicat remitto tibi pœnam, aut reatum, vel debitum; sequitur omnino juxtà verborum proprietatem, intelligendam esse verā, & propriam culpę remissionem, & non tantùm ejus declarationem, aut solius pœnæ, & reatus remissionem; Et plane si esset absolutio declaratoria tantùm, ut dicebat Magister, quasi jam solutio peccatorum per contritionem præcessisset, non bene dixisset Christus, *quodcunq; solveris super terram, erit solutum, & in Cælis*, sed dicere debuisset, *fuit solutum in Cælis*, quia solutio facta fuisset à Deo intuitu contritionis absolutionem præcedentis, cùm ergo non dixerit, *fuit solutum*, sed *erit solutum in Cælis*, signum est, hoc consequenter se habere, illud verò præcedere.

366 Secundò probatur ex Conciliis Florentino in litteris unionis, Constantiensi in Bulla Martini V. contrà errores Ioannis Hus, & clarius ex Trid. *sess.* 14. per totā. ubi c. 1. dicitur, Sacerdotibus *datam esse potestatem reconciliandi fideles post baptismum lapsos &c.* 2. hoc sacram. homines à peccatis liberari post baptismum commissis, sicut per baptismum ipsum à prioribus peccatis liberantur, & c. 3. effectum hujus sacramenti esse reconciliationē cum Deo. Nec dici potest, id verificari ratione contritionis, quæ est pars constituens hoc sacramentum, tum quia ex eodem Cone. can. 4. sola attritio sufficit ad constituendum hoc sacramentum, quia attritio cum hoc sacramento disponit ad primam gratiam, & remissionē peccati obtinendam: tum quia idem Concilium dicit, præcipuam vim hujus sacramenti sitam esse in forma absolutionis, quę in illis verbis posita est: *Ego te absolvo*. Conf. quia idem Concilium can. 2. docet, hoc sacramentum recte cum Patribus appellari secundam tabulam post naufragium respectu Baptismi, qui dicitur prima tabula; sed ut arguit Doctor d. 24. q. 4. ar. 3. ab initio non recte secunda tabula appellari posset, si peccatorē à naufragio peccati non liberaret, quia nunquam liberaret naufragū à periculo submersionis. Tandem probatur, quia ex istis Conciliis sacramenta novæ legis efficiunt, quod significant, hoc enim est præcipuum discrimen à Florentino statutum inter hæc, & vetera, quod illa gratiam non causabant, sed eam solùm per passionem Christi dandam figurabant, hæc verò continent, & dignè suscipientibus conferunt, sed ut arguit Doctor 4. d. 19. q. un. sub A. si sacram. pœnitentiæ remissionem peccatorum non importat, & gratiæ causalitatem, non esset sacramentum novæ legis, quia nec aliquam causalitatem haberet, nec dispositionem causalem ad primam gratiam, quia nunquam dignè susciperetur, nisi ab habente jam primam gratiam. Hoc idem etiam probari potest ex Patribus, qui hanc potestatem in Sacerdotibus agnoscunt, ut videri potest apud Card. de Lugo disp. 13. sect. 2.

367 Tertiò hoc etiam probat Doctor rationibus loc. cit. nam opposita opinio sacramēto pœnitentiæ nimis derogare videtur, nam juxtà illam per sacramentum pœnitentię nunquam deleretur peccatum, sed necesse esset priùs deleri per contritionē ad hoc, quòd dignè susciperet sacramentū pœnitentiæ, quia nullus dignè ostēditur mundus à peccato, nisi priùs sit immunis ab eo. Tū quia ex ea sequeretur, sacramētum pœnitētiæ nō esse sacramentum novæ legis, ut suprà probatum est, & Sacerdotem Evangelicum non differre à Sacerdote legali, si non absolveret à peccatis, sed solùm pœnitentem absolu-

absolutum declararet, quod quamvis concedat Magister, nō tamen concedunt Patres, & præsertim Chrys. *lib. 3. de Sacerdotio c. 4.* ubi conceptis verbis inquit: *nostris Sacerdotibus non corporis lepram, verum animæ sordes, non dico purgatos probare, sed purgare prorsus concessum est*. Tūm quia sequeretur, formā absolutionis esse falsam, sicut enim hæc verba in Baptismo, Conf. & Eucharistia: *Te baptizo, Te confirmo, Hoc est corpus meum*, non tantùm materiā ablutam, confirmatā, & conversam declarant, sed exercitè abluunt, confirmant, & convertunt; sic à pari hæc verba: *Te absolvo* non declarant tantùm subjectum peccatis absolutum, sed etiam per se important actum exercitum absolvendi circa subjectum, in quod diriguntur, alioquin non efficerent, quod significant: Tunc tandem, quia sacr. pœnitentię est instrumentum efficax gratiæ, sed hoc instrumentum non est signum rememorativum, seu ostensivum alicujus rei, ut præteritæ, sed futuræ; ergo collatio sacramenti pœnitentiæ ad hoc, ut dignè, & validè fiat, non debet esse signum absolutionis divinę jam præteritæ, & præcedentis, sed præsentis, vel futuræ.

368 Quartò ulteriùs probatur rejiciendo singulos modos, quibus Auctores citati oppositam sententiam explicare conantur, & quidem primā explicatio dicens, effectum absolutionis in hoc consisteret, quòd Sacerdos declarat, & pronunciat, peccata esse remissa à Deo, satis explosa manet ex modo dictis, nam ea proprietate dicitur Sacerdos absolvere à peccatis, qua Io. 20. à Christo dictum est, *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, sed ibi propriè intelligitur de potestate remissiva peccatorum, quoad culpam, ergo & hic. Secunda explicatio dicentiu, Sacerdotem absolvere à pœna æterna peccato debita, postquā Deus solus jam antè sacr. culpam remiserat, etiam relellitur, nam qui absolvit à culpa, necessārio etiam absolvit à pœna æterna sensus, & damni, pœna enim æterna una cum culpa remittitur ex Trid. *sess.* 6. *c.* 14. si ergo antè sacr. remissa est culpa, pœna etiam æterna remitti debuit; Tūm quia culpa mortalis non nisi per infusionem gratiæ deletur; non potest autem cum gratia reatus pœnæ æternæ manere, quia gratia est semen gloriæ & finitio Dei ad hæreditatem gloriæ jus adducens. Tertia explicatio dicens, Sacerdotem absolvere tantùm à pœna temporali, est manifestè falsa, quia tunc non esset post absolutionem imponenda satisfactio, quę à temporali pœna liberat; Tūm quia ut notat Doct. ex D. Aug. 4. d. 9. ab initio, potest aliquando tanta esse contritio, ut deleat pœnam temporalem, quare in tali casu à nullo vinculo Sacerdos absolveret; Tūm tandem quia talis explicatio efficaciæ, & excellentiæ hujus sacramēti nimis derogat, nam alia faciliora remedia utiq; suppetunt ad tollendum pœnæ temporalis reatum, neqiad hoc requiritur novę gratiæ infusio, ut constat in Indulgentiis, & Missæ sacrificio, undè ex illo effectu arguere non possemus, per hoc sacram. gratiam conferri. Quarta explicatio dicens, homines absolvi à culpa, & pœna per absolutionem Sacerdotis, non reipsa susceptam, sed in voto, etiam omninò vana est, quia plus potest sacram. in re, quàm in voto, ut de se patet, quam ideo operatur in voto, quia in re haberi non potest; ergo à fortiori plus operatur reipsa susceptum, quàm in voto, nam primò modo operatur ex opere operato, at secundo modo ex opere tantùm operantis: quarè si sacramentum pœnitentiæ in voto peccata remittit, tantò magis reipsa susceptum. Deinde adhuc absurdius est, quod addebat, per verba absolutionis hominem liberari solùm ab obligatione confitendi, & clavibus Ecclesiæ se subjicendi, quia non esset absolvere à peccatis, sed ab obligatione confitendi peccata, quod est valdè diversum, & sic dicendo tollitur omninò potestas clavium Ecclesiæ, siquidem non esset ad mundandam animam, sed ad cęremoniam quandam extrinsecam exercendam; Tūm quia falsa omninò essent illa verba, quando absolutio caderet supra venialia tantùm, vel mortalia alias confessa, nam tunc non potest Sacerdos pœnitentem absolvere ab obligatione confitendi quia, in eo casu nulla talis adest obligatio. Tandem omnes illæ explicationes simul rejiciuntur, quia fundantur in absolutione alicujus pœnæ æternæ, vel temporalis, sensus, vel damni, aut in obligatione à præcepto confitendi, quæ omnia impropriè dicuntur de absolutione à peccatis, qualis est absolutio sacramentalis.

369 Quintò tandem probatur, destruendo fundamenta oppositæ sententiæ, cum enim dicebat, solius Dei esse peccata dimittere, Isaię 43. inquit Doctor 4. d. 19. q. un. sub B. hoc esse verum auctoritativè, & principaliter; Sacerdos autem peccata remittit dispositivè, & instrumentaliter, ut instrumentum passionis Christi; non quidem attingendo illum effectum physice, nec virtute propria, vel alterius, sed attingendo aliquod prius, quod est dispositio necessitans ad illū effectum, necessitans, inquam, ex divina pactione, & tale agens causans dispositionem necessariam ad terminum dicitur agens instrumentale, ut est de alterante, & generante; proprium autem est Dei principaliter mundare, & remittere illud debitum, etiam attingendo illum effectum, horum autem neutrum convenit Sacerdoti. Aliud etiam fundamentum falsum est, quòd necessārio requiratur contritio antè hujus sacramenti susceptionem, ut pœnitens censeatur rectè dispositus, & sic antè absolutionem consequitur peccatorum remissionem ex vi contritionis; hoc, inquam, falsum est, nam pœnitens cum sola attritione accedit ritè dispositus ad hoc sacram. tam attritio sola est sufficiens dispositio ad gratiam hujus sacramenti recipiendam, & cum hoc sacramento sufficienter pœnitentem disponit ad primam gratiam, & remissionem peccati obtinendam, ut latè docet Scotus *d.* 14. *q.* 4. *a.* 3. & postea Trident. definivit *sess.* 14. *c.* 4. Tandem, neque urget exemplum Lazari, quod adducere solent, qui priùs fuit à Christo resuscitatus, & posteà à discipulis vinculis solutus; ex quo facto dicunt, Augustinū colligere peccatorem priùs à Deo intùs per gratiam vivificari, quàm à Sacerdote à vinculis absolvi. Non, inquam, urget, cùm enim ille sit sensus allegoricus, non litteralis, opus non est, quòd in omnibus sit similè, concedit itaque Doctor loc. cit. in solutione principalis, peccatorem in Lazaro figuratum antè hujus sacramenti dignam perceptionem suscitari debere, vel simpliciter, & tunc per pœnitentiæ sacramentum non deletur peccatum, quia priùs per contritionem deletum fuit, sed gratia, quæ infuit, augetur; vel debet suscitari secundum quid, scilicet, ut habeat aliquā displicentiam de peccatis, & propositum cavendi de cætero, & velit suscipere sacramentum pœnitentiæ, in quo attritio fit contritio, & tunc scitatur simpliciter per sacramentum: Undè hoc exemplum de Lazaro intelligi debet, non semper de suscitatione simpliciter, & vivificatione per gratiam sanctificantem, sed de imperfecta, & secundum quid per gratiam excitantem, quæ inchoat vitam animæ per motum prevenētis gratiæ; & in hoc sensu seipsum explicat Augustinus *tr 49. in Io. 7. lib. 50. Homil. hom. 27.* & de verbis Dom. serm. 8. ubi ait, ideò Deum dici, suscitare Lazarum mortuum, quia clamore suo eum vocans facit, ut veniat foras, hoc est, foras prodat per confessionem peccatum, quod occultum erat, hoc enim, ipsum prodire foras est vivere; cæterum lib. 2. de adulterinis conjugiis cap. 9. expressè docet, per claves fieri remissionem peccatorum.

370 Sed adhuc difficultas est, quando producatur hic effectus infusionis gratiæ, & remissionis peccatorum per verba absolutionis sacramentalis, an scilicet, illa sola veaba, *Absolvo te*, quæ suprà diximus, esse de essentia formæ concurrant de facto ad effectum sacramenti, nūm etiam concurrant alia sequentia *peccatis tuis*. Qui contendunt, particulam *à peccatis* esse de essentia, & necessitatis hujus formæ requisitam ad valorem ipsius absolutionis, ut sustinet Aversa q. 12. sect. 3. cum aliis ab ipso relatis, cōsequenter volunt, illa quoque verba concurrere ad effectum sacramenti, itaut effectus non ponatur, donec omnia proferantur. Vasq. Henriq. & alii quamvis teneant, in rigore sola illa verba *Absolvo te* ad valorē formę sufficere, quia implicitè important illa quoque *à peccatis tuis*, dicunt tamen, quòd quando de facto illa quoq; expressè apponuntur, pertinere ad essentiam, & substantiam formæ, atque adeò concurrere, nec poni effectum, donec illa perfecta fuit. Deniq; Suar. Card. de Lugo, Amicus, Hiqueus, Poncius, & alii communiter tenent non concurrere, quia cùm verba: *Ego te absolvo* ex se sufficiant, nec verba illa sequētia distrahant eorum significatum ad aliam significationē, omninò causare debent gratiam in ultimo instanti, quo proferuntur, & sic sequentia verba non concurrerent. Adhuc tamen probabile videtur, quod inquit Poncius *disp. 46. q. 2. concl. 2. n. 13.* quòd si Sacerdos intenderet non significare absolutionem à peccatis, nisi pes integram formam, non causaretur gratia per propria verba: *Te absolvo*, nisi adderetur *à peccatis*, & consequenter in tali casu hæc quoq; ultima verba ad effectum concurrerent: cum enim priora verba quantum est ex se, possent significare aliam absolutionem, quàm à peccatis, ut putā à censuris, ab intētione Sacerdotis dependet, quòd absolutè prolata sine particula *à peccatis* significent absolutionem ab eis, ideòque si intendat tantùm, per omnia verba significare absolutionem à peccatis, videtur, quòd in tali casu illa sola verba: *Ego te absolvo* non sufficiant ad habendum sacramenti effectum; Et quamvis intentio privata Ministri validitatem formæ mutare non possit, quando manet intentio universalis faciendi, quod facit Ecclesia, & Christus instituit, & proferuntur verba ex se determinata ad significationem, quam forma debet habere; Tamen quando verba aliqua sunt æquivoca, & ex se indifferentia ad aliud significandum, satis probabile est, quòd ab intentione Ministri dependeat illa verba indifferentia ad sensum debitum, & requisitum limitare; sicut ab ipsius intentione dependet, quòd quando dicit, *Hoc est corpus meum*, forma sit bona, vel mala; erit enim bona, si non intendat addere aliqua verba, formam à propria significatione distrahentia, mala verò, si talia verba addere intendat, & dicere, v. g. *Hoc est corpus meum aereum*.

371 Addit ulteriùs Amicus disp. 11. sect. 1. n. 17. posse quoq; hujus sacramenti effectū ex intentione Ministri differri, non solùm in finem horū verborum *à peccatis tuis*, sed etiam in finem reliquorum subsequentium verborum; licēt in tali casu gratis fateatur, subsequentia verba effectum sacramenti nō causare, sed tantùm priora essentialia, quoniam ad effectum sacram. causandum non concurrunt, nisi verba à Christo assumpta, ut suæ passionis instrumenta. Hoc autem probat Amicus, quoniam effectus sacramenti non solùm ex debita materia, & forma dependet, sed etiam ex intētione Ministri, ut constat ex Florentino; poterit igitur Minister intētionem habere à peccatis absolvendi post totā formā, quoad omnia verba etiam non essentialia absolutam, nam quamdiu non ponitur intentio Ministri, non ponuntur omnia requisita ad sacramēti

constitutionem, & consequenter ad ejus effectum causandum, cùm sacramentum non causet, nisi sit essentialiter completum.

372 Hoc tamen mihi non videtur satis probabiliter dictum, quia quando Florent. Concilium dixit, effectum sacramentorum non tantùm pendere ex debita materia, & forma, sed etiam ex intentione Ministri, non loquitur de intentione privata, & particulari Ministri, sed de implicita, & universali faciendi, quod facit Ecclesia, & quod Christus instituit, quam semper habere debet Minister in conficiendis sacramentis; ut constat ex dictis disp. 1. de sacramẽtis in genere, qua ratione etiam Amicus ipse tom. 7. disp. 24. nu. 18. docet, verba essentialia formę consecrationis non pẽdere in effectu causando ab intentione Minister, sed illa statim prolata suum effectum conferre, etiam si Ministri intentionem particularem, & explicitam habeat, ut illa effectũ conversionis non fortiantur, nisi in fine prolationis omnium verborum etiam accidentalium, & ratio hujus est, quia in tali casu intentio privata Ministri non conformatur cum universali, quam supponitur habere saltem implicite, faciendi scilicet, quod Christus instituit, & Ecclesia intendit, nam Christus statuit, ut statim prolatis verbis in consecratione essentialibus sequatur effectus conversionis, absq; ulla dependentia ab aliis verbis accidentalibus adjunctis, & ideò conversio, seù conversionis effectus ex intentione privata Ministri differri nequit usque ad finem prolationis omnium verborum, etiam accidentalium in forma consecrationis adjunctorum; Sic igitur in proposito quoq; discurrendum est, quod cùm Christus statuerit etiam in hujus sacramenti institutione, quod effectus absolutionis sequatur statim post prolationem verborum, quæ ejus formam essentialiter integrant, & constituunt, non potest talis sacramenti effectus ex privata intentione Ministri differri, non solùm in finem talium verborum essentialium, sed etiam reliquorum subsequentium accidentaliter conjunctorum; quia in tali casu intentio privata Ministri non conformatur cum universali, quam tenetur habere, faciendi, quod Christus instituit, & quod Ecclesia intendit, nam Christus instituit, ut talis effectus ponatur statim post probationem verborum, essentialiter formam hujus sacramenti constituentium. In casu autem à Poncio nuper relato concessimus, ex intentione privata Ministri id contingere posse, modo ibi explicato, quia in eo casu intentio privata Ministri non contrariatur intentioni universali faciendi, quod Christus instituit, ut contingit in casu posito ab Amico.

373 Tandem addit Amicus loc. cit. n. 23. quòd si penitens non sit dispositus, nisi in fine probationis illorum verborum *à peccatis tuis* in prolatione ipsorum accipit gratiam sacramentalem, non tamen illam accipit in subsequentibus verbis, exprimentibus invocationem sanctissimæ Trinitatis, si in prolatione ipsorum, & non antè fiat dispositus. Primam partem hujus asserti probat, quoniam hæc verba *à peccatis suis* participant eandem significationẽ, quam habent verba essentialia: *Absolvo te*, quia quod essentialia dicunt implicite, hæc dicunt explicitè, ac proindè participant eandem virtutem causandi, nam verba sacramentalia ex institutione Christi efficiunt, quod significant. Alteram partem probat, quia verba exprimentia invocationem sanctissimæ Trinitatis nullam significationem participant verborum essentialium, quæ à Christo ad hoc sacramentum perficiendum sunt instituta; igitur nec virtutem causandi participare possunt, cùm hæc fundetur in ipsa significatione principalis effectus sacramenti. Tùm quia, si posset effectus hujus sacramenti conferri in prolatione verborum accidentalem, posset etiam conferri in prolatione subsequentium; *Passio, Domini nostri Iesu Christi*, si nimirum in prolatione horum verborum accidentalium, & non ante pœnitens fieret sufficienter dispositus.

Quod asserit Amicus in prima parte asserti, omnino mihi quoque approbandum videtur, & in hoc sensu etiam admitti potest sententia Vasquez, quòd illa verba *à peccatis tuis* addita essentialibus causent effectum sacramenti, non autem in casu, quo pœnitens reperiatur dispositus in prolatione præcedentium verborum: *Ego te absolvo*; nam tunc effectus sacramenti causatur tantùm in prolatione præcedentium verborum. Quantùm verò ad id, quod asserit in secunda parte, adhuc piè credi potest, quòd pœnitens gratiam acciperet in subsequentibus verbis accidentalibus, si tunc tantùm sit dispositus, quia cùm sacramentorum causalitas sit moralis, videtur talis effectus produci posse etiam in pœnitente, tunc tantùm disposito ob moralem conjunctionem verbis præcedentibus, ut dicimus de verbis, & ablutione in Baptismo, in quo casu adhuc verum esset, quòd subsequentia verba accidentalia non causarent effectum sacramenti, sed tantùm priora essentialia, & hoc solùm convincit ratio ab Amico adducta. Opposita tamen opinio communis est, quia hoc sacramentum ministratur per modum judicii reconciliativi, in quo antè absolutionem præsupponitur cognitio causæ, & dolor, de quo vide Bonac. disp. 5. q. 3. punct. 2. n. 18. Amicus disp. 12. sect. 4. & alii Recentiores passim.

ARTICULUS SECUNDUS.

Examinatur præcipua difficultas contra præmissam doctrinam;

374 Explicato effectu verborum formæ hujus sacram. remanet adhuc præcipua difficultas examinanda, quomodo salvetur vis, & effectus hujus sacr. & quẽ sensum habeat forma absolutionis, quãdo invenit jam peccata remissa, vel per contritionẽ, vel per aliã antecedentem confessionẽ; jam enim dictũ est *q. præc. a. 1. n. 243.* peccata semel validè confessa, & remissa posse esse materia novę confessionis sacram. Ratio dubitandi est, quia quando peccata jam sunt condonata, & remissa vel per contritionẽ, vel per aliam confessionẽ præcedentem, non absolvitur tunc ab illis; non enim absolvitur ille, qui vinculis nõ est ligatus, nec potest cõdonari debitũ, quod non est, cujus difficultatis solutio licèt deduci possit ex ibi dictis, tamen quia circà ejus solutionẽ varii sunt dicendi modi, nõ erit abs re eos singillatim hic examinare, & quid dicẽdũ ex ibi præmissis deducere.

Primò dixerunt aliqui apud Aversam *q. 14. sect. 2.* non esse inconveniens, si in tali casu, quo peccata invenirentur prorsus remissa, hoc sacramentum carere effectu, quo nempè subjectum nõ indiget, & qui in tali subjecto locũ non habet; adhuc tamen verificari formam absolutionis, & reddere sensum conditionatum, sc. quantum est ex me, te absolvo, sive te absolvo, si indiges, si ligatus es aliquo peccati vinculo; Sed utrumque ab hoc dicendi modo assertum est falsum; primum quidem sine ullo fundamento asseritur; quia apud omnes certum est, ac indubitatum, quodlibet sacramentum, & hoc etiam semper habere effectum in suscipiente, quando obicem non invenit; ita autem contingit in casu posito, quia remissio antecedẽs eorundem peccatorum, sivè per contritionem, sivè per iteratam confessionem, obex dici non potest effectum sacram. impediens, quin potiùs omnem obicem tollit, undè omnes supponunt, in tali casu sacram. novam conferre gratiam sanctificantem, & solùm explicare conantur, quomodo habeat aliquem effectum sacramenti proprium, in remissione peccatorũ consistentem, & qualiter in tali casu verba formæ verificentur. Alterũ etiam ab hoc dicendi modo assertum non minùs à veritate distat, quod, sc. in tali casu forma absolutionis verificetur, quatenus reddit sensum conditionatũ, sc. te absolvo, si indiges, si aliquo peccati vinculo ligatus es; quia licitum non est formam sub conditione proferre, quando certum est, conditionem non subesse, ut in tali casu contingeret, imò absolutionẽ in tali casu sub conditione proferre idem est, quod admittere, reipsa non verificari ex defectu cõditionis, & reipsa pœnitentẽ nõ absolvi, quia absolutione non indigebat, nec aliquo peccati vinculo ligatus erat, atque ita in tali casu sacramentum non perfici.

375 Secundo dixerunt alii, etiam in hoc casu dici posse peccata remitti per absolutionem, quia post peccata remissa manent semper aliquæ peccatorũ reliquiæ; v. g. malę inclinationes ex eis relictę, & similia mala, à quibus homo potest magis, & magis liberari per iteratas confessiones, ideòque hæc saltem remissio per formam absolutionis significari potest; ita Cajet. *t. 1. Opusc. tr. 5. q. 1. ad 2.* Atneque id satisfacit, quia hujusmodi peccatorum reliquiæ nequeunt esse, nisi mali habitus, & pravæ dispositiones ex actibus peccaminosis relictæ; sed tamen hæc mala non statim in ipso absolutionis momento virtute sacramenti tolluntur, & interdum hujusmodi peccatorum reliquiæ possunt esse jam abolitæ antè repetitam confessionem, & tamen adhuc in tali casu fateri oportet, conferri principalem effectum sacramenti. Tùm quia neque hoc sacramentum ad has reliquias tollendas est institutum, neque hoc solùm sufficit ad verba formæ verificanda, quia hujusmodi pravę dispositiones non sunt peccata, licèt ex eis relictæ.

Tùm quia præter absolutionem à culpa, ac pœna æterna, & temporali non bene percipitur, quomodo adhuc ulteriùs absolvatur homo per virtutem clavium ab his peccatorũ reliquiis, neq; etiam Concilia, neque Patres talem effectum huic tribuunt sacramento; sed ad summum dicunt dari ex virtute hujus sacram. aliquod speciale auxilium, quo possit homo operari ad has pravas dispositiones vincendas, & expellendas, ut loquitur Suar. *disp. 19. sect. 2.*

376 Tertiò Coninchius *disp. 5. dub. 8.* ut aliquid novi excogitaret, dicit, post ablatum culpam, & remissam pœnam manere semper aliquà indignitatem, qua cæteris paribus ille, qui peccavit, minus dignus est aliquo Dei beneficio peculiari, quã alius equè justus, qui nunquam peccavit & hoc impedimentum, inquit, ac indignitatem auferri magis, & magis per absolutionẽ, mediante gratia habituali, quæ in sacramento recipitur, & hoc modo ait, absolutionis formã in se verificari, & aliquid in anima operari. Hæc explicatio reijcitur, ut præcedens, licèt enim admitteret, verè per absolutionem, & per quodcunque gratiæ augmentum illam indignitatem minui, sicut certè augetur dignitas, adhuc tamen hoc non videtur sufficiens ad verba formæ verificanda, tùm quia hæc indignitas non est peccatum, licèt ex peccato relicta, tùm quia quando Sacerdos dicit, *Ego absolvo te à peccatis*, aliquid plus significare videtur, quàm solvere ab indignitate carendi divinis beneficiis ob peccata. Accedit ex Lugo *disput. 13. sect. 3.* quòd sicut Deus condonando

donando culpam cedit juri, quod habebat ad aversionẽ rationabilem ab homine, qui peccavit, & posteà pœnitet, & condonando pœnam cedit juri, quod habebat ad puniendũ positivè hominem propter peccatum; ita potest libere cedere, & renunciare omni juri, & titulo morali, quem haberet ad negandum aliquod beneficium illi homini ratione peccati præteriti, neque enim est minùs Dominus Deus horum jurium, quàm illorũ: posita autem hac universali cessione jam non manet illa indignitas, & tamen adhuc præteritum peccatum, materia esse posset absolutionis sacramentalis. Neque hanc instantiam solvit Aversa *l. c.* dicens pro Coninchio, de facto in hac vita nunquam exinaniri totam illam indignitatem, licèt absolutè ex Dei providentia posset. Nam hoc gratis omninò dicitur sicut enim Deus est æquè Dominus tãm horum jurium, quàm illorum, ut dicebamus; ita pariter suavi ejus providentiæ magis congruum est, quòd sicut de facto in peccatorum absolutione cedit juribus illis, ita & istis, adeò ut tollatur omninò, & consumetur tota illa indignitas, & titulus.

377 Quartò alii dixerunt sensum illorum verborum esse, *Ego tibi sacramentum absolutionis impendo*, ut explicuit D. Thomas *q. 84. a. 3. ad 5.* & in hoc sensu formam absolutionis verificari, etiamsi non conferat remissionis effectum, quia satis sit, quòd verè perficiatur sacramentum, & ponatur causa sufficiens ad illum effectum. Sed neque hic dicendi modus difficultatem tollit, & rem sufficienter explicat, nisi meliùs declaretur, quia verba sacramentalia debent significare effectum, quem causãt; at effectus ab absolutione sacramentali causatus non est sacramenti traditio, sed liberatio à peccatis, & à reatu pœnæ æternę; ergo &c. major patet ex definitione sacramenti, minor probatur, quia verbum ad differentiam puri nominis actionem, ad quam denotãdam est impositum significare debet; sed hoc verbum absolvo non est impositum ad significandam sacramenti collationem, sed ad denotandam solutionem à peccatis, ergo hanc, non verò illam significat, & significare debet. Accedit, quòd eo ipso, quòd sacramẽtum perficitur, statim ejus effectus poni debet, quia sacramentum efficit, quod significat; ergo si per allata verba sacramentum perficitur, jam per ipsa, seu ex vi ipsorũ proprius effectus ponitur, quando enim dicitur *sacramentum absolutionis impendo*, utique intelligitur absolutionis à peccatis; & ad hujus dicti veritatem reipsa absolutionem à peccatis ponere oportet, sivè peccatorum remissionem; undè adhuc redit difficultas à capite, quomodo hæc verba verificentur, quando jam remissa sunt peccata, vel per contritionem, vel antecedentem confessionem.

378 Quintò Suarez *disp. 19. sec. 2. cit.* statuens, hoc sacramento semper conferri effectum gratiæ in subjecto, obicẽ non apponente explicat non semper conferri effectum remissionis, sed tantùm, quando adest peccatum non remissum, & sub hac cõditione intelligi, ac verificari formam, scilicet, pœnès infusionem gratię remissivæ, ac expulsivæ peccatorum, si in subjecto inveniantur; Undè Castenisis *trac. 24. disp. 2 sec. 4.* in fine ait, sensum illorum verborum: *absolvo te à peccatis*, esse hujusmodi; Ego quantum est ex me, remitto tibi peccata, conferendo tibi gratiam remissivam peccatorum: qui sensus semper est verus, etiamsi illa verba non semper fortiatur effectum remissionis, quem significant, ut cùm per præviam contritionem obtenta est jam remissio omnium peccatorũ, vel cùm quis rursus confitetur peccata, à quibus jam per Sacerdotis absolutionẽ anteà solutus est, id enim est per accidens, & non ex defectu virtutis illorum verborum, quæ solùm significant, se hunc effectum cõferre, quantum est ex se, & ex sua virtute; Et hic dicendi modus communior est, ac frequentior inter Recentiores, ac etiam Nostrates, utpotè qui videatur à Scoto insinuari *4. d. 14. q. 4.* in solutione ad 2. principale, ubi inquit, quòd quando per præviam contritionẽ obtenta est jam remissio peccatorum, tunc per sacramentum pœnitentiæ non deletur peccatum, sed gratia, quæ infuit, augetur, & eodem modo loquitur *d. 19. qu. un.* in solutione rursus ad 2. principale, ubi inquit, quòd sicut baptismus fluminis non habenti priùs gratiam confert, & habenti auget; ita frequenter adulti per præviã contritionem (quam ibi attritionem appellat, quatenus præcedit gratiæ habitualis infusionem, contritionem vero, quatenus babet gratiam annexam juxtà modum loquẽdi antiquorum Scholasticorum) tanquam per meritum de congruo justificantur, antequam confiteantur, & tunc in susceptione sacramenti augetur eis gratia Ita etiam rem explicat Faber *disp. 21. c. 5. n. 95. & 96.* ubi inquit, quod hæc forma semper est vera, quia conferendo gratiam peccati remissivam, semper delet peccatum, quantum est ex se, si peccatũ adsit; si verò non adsit, non delet, sed confert augmentum gratiæ & ideò in tali casu quoad hanc partem dimissionis peccati, intelligitur sensus hujus formæ aptitudinaliter. Sic tandem discurrit etiam Branetus *disp. 17. a. 7. n. 191.* ubi ait, quòd sivè peccata à solo Deo sint remissa antè absolutionem intuitu contritionis, sivè non, verba illa, *Ego te absolvo*, significant actionem solutivam, & remissivam peccatorum, quòd verò non semper faciant effectum solvendi, per accidens se habet. Quòd si instes, ergo in tali casu verba non significant, quòd Sacerdos delet peccata.

Resp. *n. 192.* gratis concedendo, quòd in tali casu practicè non significant, quòd peccata deleant, adhuc tamen hoc ipsum specu-

lativè significant, eo quòd sint apta delere, nam ista verba sunt instituta ad significandum, quòd Sacerdos per ea possit delere peccata, & deleat, quando ad sunt, si igitur non ad sunt, significant speculativè tantùm, quia quantum est in se, facerent effectum; quando autem ad sunt peccata delenda, significant etiam practicè, idest, faciunt, quod significant; quam doctrinam repetit rursus in fine eiusdem articuli sub n. 208.

379 Cæterum quamvis hic dicendi modus sit satis probabilis, utpotè à Scoto insinuatus *l. c.* & à nostris communiter retentus, adhuc tamen aliquam patitur difficultatem, nec plenè satisfacere videtur; Nam quandocunque sacramentum est validum, & non invenit obicem, debet absolutè conferre suum proprii effectum, & efficere id, quod significat, ac proindè significare practicè, & non speculativè tantùm, ut constat ex dictis *d. 1.* de sacramentis in genere, quòd si talem effectum conferre non posit, eo quòd eum iam collatum inveniat, potiùs in tali casu sacramentum censeri debet invalidum, seù quòd non valeat in tali subiecto, sicut dici solet de Baptismo, Confirmatione, & Ordine, quando inveniunt characterem impressum ex simili sacramento suscepto, in tali enim casu hæc sacramenta non dicuntur signa speculativa tantùm suorum effectuum, sed potiùs dicuntur prorsus invalida.

Confir. quia ut arguunt Card. de Lugo, & Aversa *l. c.* sicut significatum directum, & primarium harum vocum; *Ego te absolvo*, non est gratiæ infusio, sed peccati cõdonatio, ita etiam principalis, & præcipuus huius sacramenti effectus est peccatorũ remissio, nam intantùm hoc sacramentum ex vi suæ formæ gratiam confert, inquantum habet remittere peccata, quem effectũ attingit mediante gratiæ collatione, undè priùs in intentione est peccata remittere, quàm gratiam conferre, siquidem gratiam confert ad finem remittendi peccata, si ergo in casu posito caret effectu remittẽdi peccata censeri etiam debebit carere effectu conferendi gratiam, quia hic effectus ad illum ordinatur, sicut medium ad finem; Denique non benè explicari videtur illa verba, *Ego te absolvo à peccatis*, ut sensus sit, Ego tibi confero gratiam peccatorũ remissivam, si inveniantur; nam sensus illorum verborum potiùs est absolutus, & de ipsa actuali peccatorum remissione, & non aptitudinali, vel potentiali tantùm; tùm quia licèt significatio sacramẽtalis, seù mistica significatio totius huius sacramenti iuxtà divinam institutionem sit ad denotandam, & conferandam gratiam; alteta tamen significatio, quam illa verba habent ex hominũ institutione, & quæ est propria illorum, ut verba humana sunt, & quæ sola debet attẽdi ad cognoscendum eorum sensum, & veritatem, habet pro directo, & immediato significato, non gratiæ infusionem determinatè, sed peccati condonationem; unde licèt de facto ex Christi institutione significent, & conferant gratiam: ut tamen sint verba humana eam determinatè non significant, nec eum sensum faciunt, quia ex hominum institutione ad gratiam significandam non sunt imposita, sed tantùm solutionem à vinculis, & peccatorum remissionem, ut benè discurrit Lugus *l. c.* undè absolutè loquendo illa verbo, *Ego te absolvo*, juxta suã significationẽ verificarentur per remissionem peccatorũ, si hæc fieret sine gratiæ infusione, ut fieri potest de potentia Dei absoluta loquendo, & nõ verificarẽtur per collationẽ gratiæ, si non haberet connexã peccatorum remissionẽ, ut de potentia Dei absoluta contingere potest ex iã dictis *lib. 2. dis. 7.* de Iustificatione.

380 Sextò igitur his de causis præstat dicere cum Lugo, & Aversa *l. c.* juxtà dicta superiùs *q. 12. a. 2. n. 348.* effectum sacramentalis absolutionis non tantùm semper esse infusionem gratiæ peccatorũ remissivæ, sed actualem quoque ipsorum remissionem juxtà proprii, & absolutum sensum ipsorum verborum, etiamsi inveniantur jam remissa peccata, vel per præviam contritionem, vel antecedentem confessionem. Ratio constat ex ibidem dictis, quia minimè implicat, peccata iterum, atque iterum remitti, & fieri novam eorundẽ remissionem, ac novum remissionis actum, & sicut ab initio per infusionem gratiæ talis peccatorum remissio facta fuit, ita denuò per aliam gratiæ infusionem, & accretionem fieri potest. Quod totum ibidem fuit etiam ex humanis deductum, qui enim offensus fuit, vel alterius creditor erat, etiam facta reconciliatione, ac debito soluto, potest adhuc rursus, si voluerit aut alter rogaverit, offensam vel debitum dimittere dicendo, dimitto tibi iterum offensam, vel debitum, & potest de hoc novam scripturam condere, & hoc novo titulo rursus juri suo cedere non obstante priori cessione; Potest pariter, qui semel promisit, & ad aliquid se obligavit, iterum promittere, & ad illud idẽ se de novo obligare, prout de facto solemus idem votum apud Deum repetere; ergo & Deus, ac Sacerdos nomine ipsius potest idem de novo peccatum rursus dimittere, titulo præsertim novi doloris de illo eliciti, consequentia patet, quia divina nostrorum peccatorum remissio est veluti promissio de indignatione non retinenda pro nostris offensis, quæ quidem promissio repeti potest, quæ repetitio talem vim habet, ac si diceret; etiamsi anteà nõ remisissem, non promisissẽ, nunc remitto, nunc promitto; in quo casu ponitur quidem novus voluntatis actus in hominibus, ex parte autem Dei ponitur aliquis novus effectus ad extrà.

381 Neque hæc doctrina repugnat doctrinæ Scoticæ l. c. quando enim inquit, quòd cùm per præviam contritionem jam obten-

ta est peccatum remissio, tunc per sacramentum pœnitentiæ non deletur peccatum, sed gratia, quę intuit, augetur, non loquitur de quacunque peccati remissione, & absolutione, sed de omninò prima peccati remissione, quæ propriè dicitur peccati deletio, & destructio, per alias enim remissionem sequentes, & repetitas licèt peccatum rursus dimitti dicatur, & condonari, non tamen propriè deleri, & aboleri, non enì propriè destruitur, & aboletur, nisi quod actu est, & existit, & quod non est, planè deleri non potest; Et quãdo etiam dixit *dist.19.q.un.* quòd nullus solvi potest, nisi ligatus, jam dictum est suprà *qu.praced.nu.*348. quòd licèt qui nunquam ligatus fuit, qualis est innocens, non sit solutionis capax, tamen qui semel ligatus fuit, & absolutus, potest iterum aliquo novo titulo absolvi per novam juris cessionem, quod aliquãdo habuimus in ipsum; Imò hoc idem fassus est etiam Brancatus *disp.17.cit.a.3.nu.61.* ubi hoc idem solvens argumentum inquit, quòd illa propositio, nullus potest solvi, nisi ligatus, valet in physicis, non in moralibus, quia licèt in physicis solutio supponat ligamen, nequit enim imaginari, quomodo sit solvendus, nisi in aliquo vinculo, seù ligamine concipiatur, in moralibus tamen potest quis pluries solvi, quia pluries judicari; Vera tamen, & magis propria ratio discriminis inter vincula corporea, & vincula spiritualia peccatorum est illa, quam adducit Card. de Lugo *sec.3.cit.n.* 82, quòd propositio illa de solutione vinculi corporei prolata habet pro objecto immediato ipsam vinculi corporei solutionem, quam solam affirmat, undè si à parte rei actualis solutio à me non ponatur, propositio mea non est vera. Quando verò solutionem vinculi spiritualis affirmo, objectũ immediatum à me affirmatum non est ipsa ablatio externa vinculi sed actus meæ voluntatis, quo ego intetiùs cedo juri acquisito ex offensa, & me obligo ad nò utendum illo jure ad id, ad quod prius poteram rationabiliter uti ratione præcedentis offensæ; Quando enim dico, condono, vel remitto offensam, affirmo actum voluntatis, qui est cessio, remissio, condonatio, seù voluntas me obligandi; idem autem affirmo, quando dico *absolvo*, nam verbum *absolvo*, & verbum *remitto* idem prorsus in hoc sacramento significant, ut constat ex superiùs dictis, ac etiam ipsa Christi institutione, in qua utroque verbo indifferenter est usus; Potest, ergo verè affirmari utrumq; etiam si peccatum antè remissum fuerit, quia licèt homo à vinculis corporeis solutus non possit ampliùs solvi, potest tamen offensa, ac debitum jam remissum iterum, atque iterum remitti, quia potest offensus, vel creditur iterum, atque iterum se obligare ad non exigendum illud debitum, nec indignationem concipiendam propter illam offensam, quod est propriè cedere juri, & offensam remittere.

382 Dices, si verba absolutionis non significant actualem peccati ablationem, & vinculi solutionẽ, sequitur, posse verificari formam, & validum conferri sacramentum, si pœnitens peccatum dubium confiteatur, vel existimatum, & de illo doleret; Consequentia probatur, nam peccatum, quod jam dimissum fuerat, non magis, ligat nunc, quàm illud; quod nunquam fuit; ergo si respectu illius datur verum sacramentum, sic etiam respectu illius dari poterit, quia verba utrobique significabunt solam conditionem, & remissionem, quantum est ex parte Creditoris.

Resp. cum eodem Lugo, negando sequelam, & ratio discriminis est, quòd in illo casu verba essent falsa ex defectu objecti, & propositio esset quasi de subjecto non supponente, cùm diceret, remitto tibi tale peccatum, quod peccatum nunquam fuit, sicut si Sacerdos me absolverit ab occisione Angeli, vel furto Chimeræ; absolutio esset nulla, si aliam materiam non habet, ex defectu objecti, & juris, cui renunciat nomine Dei per illam cessionem; sic ergo patiter remissio esset nulla, si peccata remitteret, quæ nunquam fuerunt, quia hunc sensum faceret talis absolutio, renuncio illi juri indignationis, quod acquisivit Deus ex talis peccati commissione, quod est falsum; cùm enim Deus nullum jus acquisierit, nulli juri renunciare potest Sacerdos nomine Dei, atque adeo propositio esset falsa, quia remissionem affirmaret, ubi nulla est remissio. Quando verò peccatum jam fuit commissum, ac etiam antea condonatum vel per contritionem, vel præcedentem confessionem, adhuc secunda remissio esset vera remissio, quia adhuc versaretur circa verum objectum, & circa verum jus, cui secundò Sacerdos renunciat nomine Dei, ut explicatum est.

QUÆSTIO DECIMA QUARTA.

Num semper hoc sacramentum conferat suum effectum, vel possit esse validum, & informe.

383 SAcramentum dicitur validum, quando constat partibus essentialibus cunctis, informe verò, quando non confert actu gratiam sanctificantem ob indispositionem suscipientis. Itaque quia alia quædam sacramenta possunt esse vera, & valida, & carere effectu gratię ob indispositionem suscipientis, ut præsertim dictum est de Baptismo *dis.2.q.6.* celebris de hoc quoque sacramẽto est controversia, an in aliquo casu validum esse possit, & ob aliquam indispositionem suscipientis effectu gratiæ carere, quo sensu diceretur informe, non quasi in sua substantiali forma deficiens, alioquin etiam invalidum esset, sed tanquam deficiens solùm in effectu gratæ, quæ est forma animam sanctificans.

Prima sententia affirmat, dari posse hoc sacramentum in se validum, & effectu vacuum, & informe, non conferendo gratiam, & remissionem peccatorum, sicut jam dictum est de Baptismo; & est communis in Schola Thomistarum cum D. Th. *qu.d. 17.q.3.art.4.* quam sequuntur, Suar. Card. de Lugo, Valentia, Aversa, Casp. Henriquez, Navarrus, Diana, Bonacina, & alii Morales, & aliqui etiam ex nostris, eo quòd dicunt, S. cotum hoc dubium explicitè non movere, ita Hiribarnes *4.d.15.sec.10.& 11.* & Aretinus *d.17.a.7.* Verum tamen est, hos Auctores inter se discrepare in quibus casibus possit hoc sacramentum esse validum, & informe, & quamvis major pars eorum affirmet, hoc evenire posse ex defectu doloris, si nempè pœnitens accedat absque dolore, vel saltem cum aliquali dolore, non tamen sufficienti, nec habente omnes conditiones requisitas ad effectum gratiæ; adhuc tamen non conveniunt, qualis esse debeat hic dolor, qui ad essentiam sacramenti sufficiat; non tamen ad effectum; Alii enim docent, sufficere naturalem; Alii concedunt, utique debere esse supernaturalem, sed dicunt sufficere inefficacè, vel quoad propositum peccandi, vel quoad detestationem ipsam peccati; Alii sufficere putant dolorem imperfectum intensivè; Alii tandem magis communiter affirmant dolorem imperfectum extensivè, si pœnitens nimirùm accedat cum dolore omnium quidem peccatorũ, quæ recordatur, sed non eliciat actum doloris universaliter, & integrè de omnibus mortalibus, quæ commisit, immemor invincibiliter alicujus; talis enim dolor non esset sufficiens ad effectum sacramenti; quia ex una parte repugnat remitti peccata etiã invincibiliter oblita sine detestatione, saltem virtualiter ad illa se extendente, & ex alia parte nequit unum peccatum mortale remitti sine alio; Undè in tali casu videtur, sacramentum esse validum quoad essentiam, quia habet omnes suas partes essentiales, & continet sufficientem attritionem de peccatis in confessione delatis, sed non conferre effectum, quia non remittitur illud peccatum, de quo non habetur dolor, nec remittuntur alia peccata sine illo, cùm gratia omnia simul remittat; & hoc præsertim modo Suarez, Lugus, Filiucius, Caspensis, & alii Recentiores defendunt, dari posse hoc sacramentum validum, sed informe.

Secunda sententia absolutè negat, posse dari hoc sacramentum validum, sed informe, quam tenet Gabriel, Major, Adriano, Io. Medina, Andreas de Vega, Vasquez, Coninchius, Turrianus, Amicus, Layman, Emanuel Sa, Facundez, & alii Recentiores; & hæc etiã fuit expressa Scoti sententia *4.dist.1.q.5. § contrà istam opinionem* in fine inquit, quòd in ficte pœnitente cessante fictione nihil est, quod sufficiat ad effectum veræ pœnitentię, alioquin nõ oporteret talem fictè confessum de eisdem peccatis aliàs confiteri; & ita jam statuimus *disp.2.de Baptismo q.6.a.3.n.*167. & ita sentiunt de mente Doctoris Poncius *disp.46.q.3.n.*22. Brancatus *disp.11.de sacramentis in genere a.4.* & alii Scotistæ melioris notæ.

ARTICULUS PRIMUS.

Resolvitur Quæstio.

384 QUæstionis hujus resolutio deduci debet ex dictis *d. 2.c. q.6.a.3.* ubi diximus, privilegium illud Baptismi conferendi gratiam, recedente fictione, seù ablato objce ad summum convenire posse cæteris sacramentis, characterem imprimentibus, sc. ordini, & Confirmationi, ita etiam significavit Doct. *l.c.ver.4.arguitur*, in fine, ubi negat, per alia sacramẽta imprimi ornatum characteri similem, quia illas recedente fictione causarent suum effectum, sc. gratiam, cùm remaneret dispositio ad eam; ac hoc præsertim ibi negat de sacramento pœnitentiæ, quia nullam relinquit dispositionem, à qua moveatur Deus ad causandã gratiam ipsi respondentem, ablato obice, sicut facit intuitu aliorum, quę causant characterem, non enim hunc imprimit pœnitẽtia, nec aliquid ei simile; quæ ratio licèt non sit convincens, est tamen satis probabilis, ut ibi dictum est. Verùm quia Adversarii, ut dictum est, discrepant in assignandis casibus, in quibus possit hoc sacramentum esse validum, & informe, & communior, ac frequentior dicendi modus est eorũ, qui dicunt, hoc evenire posse ex defectu doloris, si nempè pœnitens accedat absque dolore, vel saltem cum aliquali dolore, non tamen sufficienti, nec omnes conditiones habente requisitas ad effectum gratiæ; hunc præsertim dicendi modum hic impugnare conabimur, quo exclusò, alii quoque minùs probabiles faciliè excludentur & præsertim in solutione rationum adversantium.

385 Primò itaque probatur ex hoc capite, sc. ex defectu doloris dari non posse hoc sacramentum validum, & informe, nam in primis certum est, confession em absque ullo dolore invalidam esse, & nullam, etiamsi talis defectus ex ignorantia invincibili procedat, quia deficit in parte essentiali, nec ignorantia materiã essentialẽ sacramenti supplere potest; undè si is, qui confitetur, nesciat requiri dolorem, & bona fide confiteatur, non fieri in eo casu validum sacramentum, quamvis in eo non committeretur nova culpa, sicut & in omni alio sacramento, si non adhibeatur materia ad ejus substantiam necessaria, ut in Baptismo aqua naturalis, quamvis talis defectus ex inculpabili errore contingeret, verè non conficeret sacra-

sacramentum; Et adhuc minùs potest esse confessio valida defectu doloris, quando talis defectus advertitur, vel adverti debet à pœnitente, quia tunc novum in Confessione committitur, siquidem accedere ad sacramentum cum obice noto, vel culpabiliter ignorato est grave peccatum, nec sufficit illud confiteri, sed debet omninò tolli; non ergo dari potest hoc sacramentum validum, & informe ex defectu doloris actualiter culpabili, quia ut confessio sit sacramentalis, debet esse vera, & legitima accusatio cum peccatorum dolore, & detestatione, non potest autem esse talis illa accusatio, quæ sit virtualiter peccaminosa, & sacrilega ex defectu doloris actualiter culpabili.

Confir. quia ut hic advertunt Conine, & Amic. hoc præsertim discrimen versatur inter hoc, & alia sacramenta, quòd illa non includunt, ut partem essentialem ipsam suscipientis dispositione; undè possunt esse valida quoad essentiam, informia quoad effectum quia omnia essentialia includere possunt, etiamsi debitam suscipientis dispositionem non includant in ordine ad effectum; at sacramentum pœnitentiæ ipsam pœnitentis dispositionem includit, ut partem essentialem, quam si semel includit, non solùm erit validum, sed etiam efficax, si verò non includit, non solùm erit inefficax, & informe, sed etiam invalidum.

Ref. Aver. *q.14.sess.5.* non deesse sufficientem materiam, quandocumq; desit sufficiens dispositio, quia licèt materia huius sacramenti consistat in actibus pœnitentis, inter quos præcipue est retractatio, & dolor de peccatis: tamen cùm huiusmodi dolor notabilem habeat latitudinem, ac diversitatem, optimè potest esse ut aliquis dolor sit sufficiens in ratione materię ad validitatem sacramẽti; sed non per hoc sit sufficiens in ratione dispositionis ad effectũ gratiæ. Nam etiam in aliis sacramentis requiritur hic dolor in nomine habente conscientiam mortalium peccatorum; vel saltem attritio, ut in Baptismo, vel etiam contritio in aliis non permissa confessione, & tamen in iis non habet rationem materiæ, sed tantũmodò dispositionis: Sic ergo, & in hoc pœnitentię sacram. potest requiri quædã perfectio doloris, solũ in ratione disp. ad effectũ ultrà illã qualitatẽ doloris, quę sit in ratione materię necessaria ad valorẽ

386 Sed Contrà, quia non est diversus dolor, qui requiritur, ut pars ad essentiam huius sacramenti, & qui necessarius est ad effectũ eiusdem, sed idem prorsus dolor sufficiens ad essentiam, & validitatem, sufficit etiam ad effectum huius sacramenti; ergo implicat, dari sacramentũ pœnitentiæ informe, & simul validum: consequentia patet, nam hoc ipso, quod est in forma, non habet dolorem sufficiẽtem ad suì essentiã, cum hic sit ille idem, qui ad ipsius effectũ requiritur; antecedens probatur, quia Concil. Floren. & Trid. assignant dolorem, tanquam de necessitate huius sacramenti, nec distinguunt unum dolorem sufficientem ad valorem, & alium perfectiorem necessarium ad effectum, vel unum qui sit pars essentialis huius sacramenti, & aliam, qui sit solùm dispositio ad eius effectum requisita; Quinimo Trid. *sess.14.* eundem dolorem, quem *c.3.* definit, esse materiam huius sacram. statim *c.4.* docet, peccatorem disponere ad impetrandam gratiam in hoc sacram. ergo idem dolor, qui sufficit ad validitatem, sufficit etiam ad effectum huius sacramenti.

Resp. rursus Aversa cum Lugo, Concil. indefinitè assignasse eam contritionem, quę ad sacramentum validè, & cum fructu recipiendum, & ex obligatione pœnitentis per se requiritur, quia in hoc sacramento re vera idem doloris actus optimè potest, & solet esse simul pars intrinseca sacramenti, & dispositio ad gratiam, dùm nempè est supernaturalis, & efficax, & universalis; Non tamen ob id negat, posse adhuc saltem per accidens inferiorem aliquem dolorem sufficere ad solam substantiam sacramenti, qui tamen non plenè disponat ad effectum, sed hoc sub Theolog. disputatione in sua pro babilitate reliquit. Hæc tamen solutio modo loquendi Concilii non satisfacit, nam eo ipso, quòd Concil. statuit eundem dolorem, qui est materia huius sacramenti, esse quoque sufficientem, dispositionem ad eius effectum consequendum, sequitur necessariò, illum eundem dolorem sive perfectum, sive etiam imperfectum, qui sufficit ad validitatem, sufficere quoq; ad eius effectum, quia Concil. in nullo casu unum dolorem ab alio distinguit, sed eundem universaliter, ait, sufficere tàm ad validitatem, & essentiam, quam ad effectum, & fructum; Et in nullo casu talis doloris distinctionem contingere posse, quorum alter ad validitatem sufficiens nequeat ob suam imperfectionem sufficere ad effectum sacramenti consequendum, efficaciter ostenditur ratione sequenti,

387 Secundò probatur, quia ad essentiam, & valorem huius sacramenti requiritur dolor, qui efficaciter tendat ad reconciliationem hominis cum Deo, sed dolor reconciliativus cum Deo non tantùm sufficit ad essentiam, sed etiam ad effectum huius sacramenti; ergo dolor, qui est necessarius ad essentiam huius sacramenti, est etiam sufficiens ad effectum eiusdem, nec potest esse in inferiori gradu. Maior est doctrina Trid. *sess.14.cap.3.* ubi ait, hoc sacramentum esse sufficientiater reconciliativum peccatoris cum Deo, & effectum huius sacramenti esse reconciliationem cum Deo, & *cap* 4. docet, dolorem ad hoc sacramentum pœnitentiæ requisitum spẽ veniæ includere debere, quæ est ipsa voluntas efficax obtinendi reconciliationem à Deo, mediante hoc sacramento; Minor probatur, sua talis dolor reconciliativus cum Deo continet implicitè detestationem omniũ mortalium; ergo non tantùm sufficiens erit ad valorẽ, & essentiam huius sacramenti, sed etiam ad effectũ; & fructũ eiusdem obtinendum; probatur assumptum, quia omnis amor efficax alicuius boni continet implicitè detestationem mali contrarii, ut patet in actu perfectæ charitatis qui virtualiter continet detestationem omniũ peccatorũ mortalium, quamvis homo eorum nõ recordetur, quia actus ille cum actuali affectu ad peccatum mortale stare non potest; ergo dolor essentialiter ad hoc sacramentum requisitus, cùm sit reconciliativus peccatoris cum Deo, virtualiter saltem semper se extendere debet ad omnia peccata pœnitẽtis etiã oblita; Confir. quia nisi offendens efficaciter detestetur offensam amico illatam, firmum q; concipiat propositum, non ampliùs illum offendendi, verum animum habere non poteſt reconciliandi se cum amico, sed tantùm simulatum, & fictum; ergo dolor reconciliativus peccatoris cum Deo efficacem detestationem de omnibus offensis includere debet; firmumque propositum amicum non ampliùs offendendi; sed dolor talem detestationem, & propositum includens virtute se extẽdit ad omnem gravem offensam Deo factã; ergo implicat, esse dolorem reconciliativum, & illum ad omnem gravem offensam Deo factam virtute nõ se extendere; Minor fabillata probatur, quia pœnitens virtute talis actus manet dispositus, tam ad vitandum quodcunq; grave peccatum, si occasio offeratur illud cõmittendi, quam ad prorumpendũ in formalem detestationem, cuiuscumq; gravis offensę contrà Deũ, si illa menti occurreret; ergo ille verè recipiet effectũ sacramẽti, vel si in ea intentione deficiebat, non tantùm infructuosè, sed etiã invalidè confiteatur.

388 Resp. Aversa loc. cit. in primis non esse necessariu m, ut qui validè confiteatur habeat eam intentionem adequatam reconciliationis cum Deo; sed satis esse, ut specialiter intendat consequi remissionem eorum peccatorum, quæ recordatur, & confitetur putans, se non habere alia, & ideò putas, se non indigere detestatione aliorum; Addit, quod nec etiam si habeat eam adequatam intentionem, eo ipso actu habet aversionem ab omnibus peccatis, nam illa est intentio finis, quæ eo ipso est quidem virtualis voluntas adhibendi omnia media, sed non per hoc est actualis applicatio mediorum, quæ potiùs debet consequenter fieri; Quare ad summum illa est virtualis voluntas detestandi omnia peccata, sed nõ est actu virtualis detestatio omnium peccatorum; Ex quo fit, ut si is putet, vel dubitet, se habere alia peccata, quæ non recordetur, debeat de facto elicere, actum detestationis eorum, stante illa efficaci intentione reconciliationis cum Deo; Si autem invincibiliter putet, se non habere alia peccata, aut nõ advertat de tali actu detestationis eliciendo; satisfaciet validitati sacramenti, & intentioni suæ recõciliationis, detestando illa peccata, quæ recordatur, & confitetur, tanquã peditiva, & lęsiva divinęamicitię nõ cogitans de aliis; Et sic cùm re vera habeat alia sibi occulta, non est sufficienter dispositus ad gratiam, sed tamen recipit validũ sacramentum. Et hæc solutiõ coincidit cum ea, quam affert Card. de Lug. *d.14.sess.6.n.*81. ubi inquit, quòd licèt ad valorem huius sacramenti requiratur propositum universale nõ committendi de cætero ullum peccatum mortale, non tamen requiritur dolor universalis de omnibus peccatis, quia Concil. Trid. non eodem modo loquitur quoad hoc de dolore, ac de proposito, nam de illo solùm dixit, *debere esse detestationem de peccato commisso*, in quibus verbis non petit dolorem terminatũ ad omnia peccata, sed solùm ad commissa; de proposito autẽ dixit universaliter, debere esse *propositum non peccandi de cætero*, & debere excludere voluntatẽ peccandi, quæ verba universalia sunt, & omnia peccata comprehendunt, etiã illa, quæ committi possunt Imò Aversa in fine illius 6 sectionis addit, etiam cõsequenter videri posse, pariter sufficere propositũ determinatũ de non repetendis iis peccatis, quæ pœnitens se commisse meminit, & sic etiam Concil. intelligi posse de voluntate non repetendi de cætero similia peccata, de quibus pœnitens nunc dolet, & confitetur.

389 Verùm in hoc puncto de dispositione necessaria ad valorem confessionis ex parte pœnitentis Auctores isti nimis habenas laxare mihi videntur, & ut ab hoc ultimo incipiam; quòd ad valorẽ confessionis requiratur propositum universale de vitãdis quibuscumque mortalibus in futurum, est communis omnium sensus, nõ tantùm jam commissis, & confessis, sed etiam committendis, vel quæ committi possunt, alioquin per tale propositũ non perfectè, & efficaciter excluderetur omnis prorsus affectus ad peccatum, & planè non nisi talem universalitatem intendit Triden. cùm inquit, ad valorem sacramenti necessarium esse propositum nõ peccandi de cætero, & debere excludere voluntatem peccandi, quæ verba universalia sunt; & omnia peccata comprehendunt, etiam quæ committi possunt; in quo etiam sensu locutus est, Greg. Papa *h.27.* in Evangelia, cùm dixit pœnitentiam esse *commissa plangere & plangenda non committere*. Sed non minùs etiam universalis debet esse dolor respectu commissorũ, nam virtualiter, saltem etiã ad peccata commissa oblivione tradita se extendere debet, undè nunquam ad hoc sacramentũ validè recipiendum quis se benè disponit, quin habeat dolorem virtualem saltem de omnibus peccatis etiam oblivioni traditis, & tunc talis dolor cõferi debet universalis, & virtualis ref-

lis reſpectu omniũ peccatorum, etiã invincibiliter oblita includẽdo, quando virtute talis actus pœnitens manet diſpoſitus ad prorumpendũ in formalem, & actualem deteſtationem cuiuſcunque gravis offenſę contra Deum, ſi illa menti occurreret, neq; maior expreſſio requiritur in pœnitente reſpectu peccatorum invincibiliter oblitorum; Quare ſi adeſt dolor de peccatis commiſſis ſic univerſalis, non tantum erit diſpoſitio ſufficiens ad valorem ſacramẽti, ſed etiam ad effectum eius conſequendum; ſi verò non adeſt talis univerſaliter, nec erit ſufficiens ad valorem, nã eo ipſo non cenſetur dolor ſufficienter reconciliativus cum Deo, nam talis dolor continere debet ſaltem implicitè, & virtualiter deteſtationem cuiuſcumque mortalis commiſſi, etiam invincibiliter obliti.

390 Quando autem dicit Card. de Lugo, dolorem de peccatis habendum non neceſſariò eſſe debere de omnibus peccatis ex Trid. cit. & natura pœnitentiæ; ſi intelligit, non debere eſſe univerſalem reſpectu omnium omninò peccatorum tàm commiſſorum, quàm non commiſſorum, hoc utique verum eſt, ſed non ad rem; nam ad hoc, ut dolor ſe extendat ad peccatum commiſſum, etiam oblivioni traditum, utiq; non requiritur tanta univerſalitas, ut ad peccata etiam non commiſſa extendi debeat; ſi verò intelligat, quòd non debeat eſſe univerſalis reſpectu omnium commiſſorum etiam oblitorum, omninò falſum eſt, nam ex verbis Concil. & Greg. Papæ colligitur expreſſè, tàm benè dolorem debere verſari circà omnia commiſſa, quàm propoſitum circa omnia, quæ cõmitti poſſent, ut Poncius rectè diſcurrit loc. cit. & hoc etiam ratio ipſa ſuadet, quia implicat, peccatorem ad hoc ſacramentum accedere cum efficaci voluntate reconciliandi ſe cum Deo, & nõ accedere animo ſaltem virtuali, modo iam explicato, tollendi omnem obicem, & impedimentum, quod poſſet reconciliationem ipſam impedire, quale eſſe poſſet peccatum commiſſum, etiam inculpabiliter oblitum, ſi non adeſſet animus promptus illud deteſtandi, quandocumq; menti occurreret, in qua promptitudine jam diximus conſiſtere dolorem etiam illius virtualem; quia in ipſa efficaci voluntate reconciliandi ſe cum Deo implicitè, & virtualiter includitur averſio ab omni peccato mortali, cum quo ipſa reconciliatio repugnat;

391 Deniq; falſum eſt, quod dicunt cit. Auct. cum aliis Recentioribus, confeſſionem, ſeu ſacram. pęnitentiæ poſſe eſſe validũ in ratione ſacramenti, ſed informe ex defectu doloris extenſivè, ut ſi quis habens duo peccata mort. v.g. furti & odii immemor invincibiliter unius accedat ſolùm cum dolore alterius putans, ſe non habere aliud, ad quod dolor extendi debeat. Nam etiam Adverſarii fatentur, ut ipſe Card. de Lugo *ſect.7.* in fine, ex defectũ integritatis confeſſionis non poſſe dari ſacramentum validum, & informe, nam vel peccatum aliquod fuit omiſſum culpabiliter, & tunç confeſſio erit nulla, ut omnes fatentur, quia deficit propoſitũ nõ peccandi, cùm in ipſa confeſſione fiat peccatũ; Vel fuit omiſſum inculpabiliter, & tunc confeſſio erit valida, & formata, manebit tamen obligatio confitendi iterum illud peccatũ omiſſum, quando menti occurret. Et idem etiam docet Averſa *ſeſſ.6.cit.* ab initio, ac paſſim. omnes alii Theologi ſentiunt, & ſupponunt, & clarè colligitur ex Trid. *ſeſſ.14.c.5.* Idem ergo pariter dicendum in caſu propoſito de habente duo peccata mortalia, qui immemor invincibiliter unius accedit ſolùm cum dolore formali alterius; quòd nempè confeſſio ſit valida, & formata, & ſolùm remaneat obligatio dolendi; & iterum confitendi illud peccatum omiſſum, quando menti occurret; paritas aſſumpta probatur; in tantùm enim ſi peccatum aliquod in confeſſione omittatur eo quod ſufficienti diligentia adhibita memoriæ nõ occurrit, adhuc cõfeſſio nedùm valida, ſed etiam formata cenſetur, illudq; peccatũ indirectè cum aliis cõfeſſis eſt remiſſũ quia cenſetur ille pęnitens ob diligentiã adhibitã promptus illud manifeſtare in cõfeſſione, ſi menti occurreret; ergo etiã idem eſt de dolore dicendũ, quòd ſi accedat ſolùm cum formali dolore unius, & non alterius, quia eſt illius immemor inculpabiliter, ſuppoſito ſufficienti ſuorum peccatorũ examine, cõfeſſio nedum erit valida ſed etiam formata, quia ob ſufficientem diligentiam adhibitã ſupponitur promptus ad eliciendum actus doloris, etiam circà aliud peccatum inculpabiliter oblitũ, ſi memoriæ occurreret, & conſequenter dolor, cum quo ad confeſſionẽ accedit, cenſetur etiã virtualiter extenſus ad peccatũ oblitũ, talis enim virtualis extenſio in ea promptitudine conſiſtit dolendi, quotieſcunq; menti occurreret; Nec video, ullã aſſignari poſſe convincentem diſpar. rationẽ, cur in primo caſu nõ obſtante præfato integritatis cõfeſſionis defectu, adhuc Sacr. nõ tantũ ſit validũ, ſed etiã formatũ, nõ autẽ in ſecũdo caſu de defectu doloris alicuius peccati invĩcibiliter obliti.

392 Tertiò principaliter probatur noſtra ſententia, refellendo ſingulos modos ſuperiùs relatos ab initio quæſt. quibus Adverſarii conantur explicare, quomodo ex defectu doloris poſſit hoc ſacramentũ eſſe validũ quidem, ſed informe, ob illius doloris inſufficientiam ad effectũ ſacramenti cõſequendum, nullus enim eorũ ſufficienter explicat, qualis eſſe debeat hic dolor, qui ſufficiat ad eſſentiam, & non ad effectum ſacramenti. Non enim ſatisfaciunt, qui dicunt, ad valorem ſacramẽti ſufficere dolorem naturalem, ad effectum autem requiri ſupernaturalem; nam etiam dolor ad eſſentiam huius ſacramenti requiſitus debet eſſe ſupernaturalis, ſiquidẽ Trid. *ſeſſ.14.c.4.* ait eſſe donum Dei, & Sp. S. impulſum, quòd autem ſit ex dono Dei, & Sp. S. impulſu, eſt ſupernaturale. Nec ſatisfaciunt alii, qui dicebant, utiq; dolorem ad eſſentiã huius ſacram. requiſitũ ſupernaturalem eſſe debere, ſed ſufficere inefficacem. Nam dolorẽ, quem Florent. & Trid. aſſignant pro materia huius ſacram. docent continere debere, & deteſtationem peccati commiſſi & propoſitũ de cætero non peccandi, ſed tale propoſitum ex eodem Trid. *lo. ci.* omnem peccandi voluntatem excludere debet; ergo debet eſſe efficax, & abſolutum, alioquin omnem peccandi voluntatem nõ excluderet, & ſic etiam talis eſſe debebit deteſtatio peccati commiſſi, quia propoſitum de cætero non peccandi ex deteſtatione peccati præteriti ortum ducit, repugnat autem, effectum eſſe ſua cauſa perfectiorem. Nec etiam ſufficienter rem declarant, qui dicebant, ad eſſentiam, & valorem ſacramenti ſufficere dolorem imperfectum intenſivè, non verò ad effectum. Nam ſicut nulla certa intenſio ad dolorem ſacramentalem requiritur, ut dictum eſt *q.6.* ita nullus intenſionis defectus reddere poteſt dolorem ad effectum ſacramenti inſufficientem. Nec tandem rem ſufficienter declarant, qui dicebant, ad valorem ſacramenti ſufficere dolorem imperfectum extẽſivè, modo ibi declarato, non autem ad effectum, Quia ut ſatis cõſtat ex ratione præcedenti, dolor ad hoc ſacram. requiſitus debet eſſe reconſiliativus pęnitentis cum Deo, cùm igitur hic dolor ſaltem virtualiter ad omnia peccata etiam oblita ſe extendat, repugnat, pęnitentem accedere cum dolore ad eſſentiam ſacramẽti ſufficiente, & non ad effectum, ut benè diſcurrit Amicus *loc. cit.*

392 Quartò ulterius probatur, quia generaliter loquendo nullus dolor ſufficit ad eſſentiam huius ſacramenti, qui nõ ſufficiat ad effectum; ergo ex hoc capite nequit dari ſacramentum validũ, quin etiam eo ipſo ſit formatũ: probatur aſſumptum, quia ex Trid. *ſeſſ.14. c.3.* eatenus contritio, ſivè dolor de peccatis eſt materia, & pars huius ſacramenti, quatenus ad peccati remiſſionem requiritur, ergo quotieſcumque deeſt talis dolor, qualis ad remiſſionem peccati requiritur, deeſt materia, ſivè pars eſſentialis huius ſacramenti, & per conſequens eo ipſo ſacramentum eſt invalidum.

Confirmatur, quia ut Confeſſio ſit pars huius ſacramenti, non ſufficit, ut ſit qualiſcumq; accuſatio confitentis, ſed opus eſt, ut ſit accuſatio doloroſa, quantum ſufficit ad reconciliationem cũ Deo; atqui nunquam confeſſio eſt talis, niſi per eam ſignificetur, reum ita peccati commiſſi pęnitere, ut poſſit ei peccatum per ſacramentalem abſolutionem remitti; ergo nunquam dolor eſt ſufficiens ad ſacramenti valorem, & eſſentiam, niſi etiam ſufficiat ad eius effectum conſequendum, ſcilicet remiſſionem peccatorum, atque ideò eo ipſo, quòd ſacramentum ſit informe, & abſq; effectu, erit etiam irritum, & invalidum ob defectum materiæ ſufficientis ad eius eſſentiam requiſitæ.

Reſpondent Adverſarii, imperfectiorem dolorẽ requiri, & ſufficere ad eſſentiam ſacramenti, quàm ad eius effectum, alioquin cùm non poſſimus eſſe certi, nos ſufficienter eſſe attritos ad percipiendũ effectum ſacram. nunquam ſcire poſſemus, an præcepto confeſſionis ſatisfeciſſemus, atque ita redderentur pęnitentes nimium ſolliciti & anxii de repetendis confeſſionibus, in quibus facilè eſt, defuiſſe talem dolorem, qui ſufficiat ad effectum ſacram. conſequendum. Sed adducere inconveniens non eſt ſolvere, præterquamquòd ex eo, quòd dicamus, nullam attritionem ad valorem ſacram. ſufficere, quæ non ſufficiat etiam ad eiuſdem effectum, ſive ad gratiam percipiendam, hoc inconveniens non ſequitur, nulla enim reddi poteſt ratio, cur magis de valore ſacramenti certi eſſe debeamus, ſeù validè nos eſſe confeſſos, quàm nos percepiſſe ſacramenti effectum, cùm non ob aliam cauſam valor ſacram. quæratur, quàm ut eius effectum conſequi poſſimus; Neque ex eo, quòd certi omninò eſſe nequeamus de ſacram. valore, ſequitur, nos anxios eſſe debere, ut ſuperiùs eorundem peccatorum cõfeſſiones repetamus; ut enim à tali obligatione excuſemur, ſufficit, quòd pęnitens moralem diligentiam adhibuerit in examine, & dolore habito de peccatis iam confeſſis, ſic enim ſibi perſuadere poterit, ea legitimè confeſſum eſſe, ſicut etiam eodem modo ſibi perſuadere poteſt, ſe eſſe in ſtatu gratiæ, ut poſſit legitimè, ac tuta conſcientia communicari.

394 Quintò tandem noſtra ſententia probari poteſt ex parte formæ huius ſacram. eſto enim Coninchius *loc. cit.* argumentũ hinc deſumptum non putet valdè efficax, eſt tamen valdè probabile, quia abſolutio in hoc ſacram. ſignificat effectum ipſum, ſcilicet, remiſſionem peccatorum, qui effectus formaliter per infuſionem gratiæ perficitur, ſi ergo nõ conferat effectum, forma abſolutionis redditur falſa, atque ideò irrita, & invalida, dùm enim Sacerdos dicit: *Abſolvo te à peccatis*, idem eſt, ac ſi dicat: *Remitto tibi peccata*, vel ergo verè tolit peccata, & ſic confert gratiam, & abſolutio totum ſuum confert effectum, vel verè non tollit ob aliquem pęnitentis defectum, & ſic falſum dicit, atque ideò ſacramentum non tantùm erit informe, ſed etiam irritum, & invalidum.

Reſpondet Caſpenſis, formam illam non eſſe invalidam in eo eventu, quia Sacerdos per eam ſolùm ſignificat, ſe impendere ſacramentum remiſſivum peccati, quantum eſt ex ſe, quamvis non ſequatur remiſſio propter ſubiecti indiſpoſitionem, & huius argumenti falſitatem ait, apertè cõvinci in ſacramẽto Baptiſmi, in quo eiſdem

eiſdem verbis proferetur forma: *Ego te baptizo*, & ſæpè in adultis non ſequitur actualis ablutio à peccato propter indiſpoſitionem ſubjecti, donec obex tollatur.

Sed præterquã quòd ſignificatio verborum formæ abſolutionis hoc modo explicata jam exploſa eſt ſuprà *qu. prac. ar. 2. n. 383.* adhuc improbatur, quia hoc modo verificaretur forma, etiam quando ſacramentum eſſet invalidum, quia adhuc verum eſſet dicere, impendo tibi ſacramentum peccati remiſſivũ, quantum eſt ex me, nempè ſi tu es diſpoſitus, & capax, & tamen quando ſacramentum eſſet invalidũ ex defectu capacitatis ſubjecti potiùs diceretur forma abſolutionis ſimpliciter falſificari. Nec valet paritas de forma Baptiſmi, quando eſt validum, ſed informe, quia ejus forma non ita expreſſè ſignificat eundem gratiæ effectum, ſicut forma abſolutionis ſacramentalis, ſed applicationem materiæ, ut in Baptiſmo, & Confirm. dicendo: *Ego te abſolvo, Ego te ſigno*, vel alium effectum inſeparabilem, ſcilicet characterem, ratione cujus in virtute ſacramenti jam ſuſcepti confertur gratia ſtatim obice ablato; quare per ſolam carentiam effectus gratiæ non falſificatur forma in prædictis Sacramentis, & ita poteſt adhuc eſſe rata, & valida.

Reſp. proindè aliter Averſa, verum ſenſum formæ abſolutionis etiam in tali caſu eſſe, Abſolvo te à peccatis, pro quanto es diſpoſitus, hoc enim pacto ſenſum formæ explicando, ſenſus eſt abſolutus, & non conditionatus, & non eſt limitatus, ſed amplùs, & extenditur ad aliud quodcunque inſtans, quo pœnitens erit diſpoſitus, & habet vim conferendi pro illo inſtanti effectum; Addit tamen, ad ſui veritatem requirere, ut adſit tunc debita materia, quia alioquin non ſufficit, ſi hæc poſteà adhibeatur, & ut adſit omnis alia conditio ad veritatem ſacramenti requiſita. Sed neque hæc reſponſio ſatisfacit, quia in tali caſu non adeſſet debita materia, etenim, ut dictum eſt, dolor de peccatis eſt materia, & pars hujus ſacramenti, quatenus ad peccati remiſſionem requiritur, & ideò quotieſcunque deeſt talis dolor, qualis ad peccati remiſſionem requiritur, deeſt materia, ſivè pars eſſentialis hujus ſacramenti; Chriſtus enim non dedit Apoſtolis, & Sacerdotibus facultatem remittendi peccata per hoc ſacramentum, niſi iis, qui eſſent rectè diſpoſiti ad hanc remiſſionem, & juſtificationem percipiendam, alioquin hæc poteſtas noxia fuiſſet, & irrationabilis, quarè nullo modo vera, nec valida erit forma abſolutionis, data confitenti non diſpoſito ad juſtificationem, & peccatorum remiſſionem.

ARTICULUS SECUNDUS.

Solvuntur Objectiones.

395 IN Oppoſitum Primò obiiciunt ex paritate aliorum ſacramentorum, quæ poſſunt eſſe valida quoad eſſentiam, & informia quoad effectum, & præſertim communiter aſſeritur, dari poſſe ſacramentum Baptiſmi informe; ergo etiam dari poteſt ſacramentum pęnitẽtiæ. Conf. quia quia gratia, & charitas ſunt effectus ſacramenti, ergo non pertinent ad ejus eſſentiam, cùm effectus ſit poſterior cauſa, illamque ſupponat perfectam, & completam; poteſt ergo dari ſacramentum pęnitentiæ informe, itaut ſacramentum ſit validum, ſed non operetur producendo gratiam, & charitatem, vt quando ponitur integra confeſſio, & dolor eſſentialis cum abſolutione, in quo caſu validum eſt pęnitentiæ ſacramentum ſed informe, ſi bona fide ſuſcipiatur ſine attritione ſupernaturali ad fructum requiſita, nihil enim ulteriùs deſideratur, quod ad eſſentiam, & ſubſtantiam ſacramenti requiratur, facta integra confeſſione, & dolore eſſentiali cum abſolutione. Demum nihil obſtat, quin dari poſſit ſacramentum pœnitentiæ informe, cùm poſſit eſſe aliquid in rerum natura, & non operari, plura enim requiruntur ad operandum, quàm ut aliquid in rerum natura exiſtat.

396 Reſp. ex dictis *n.391.* negando paritatem, magna enim eſt differentia hujus ſacramenti ab aliis, in quibus diſpoſitio neceſſaria ad effectum diſtinguitur ab omnibus iis, quæ ad eorum eſſẽtiam requiruntur, at in hoc ſacramento idem actus, qui eſt diſpoſitio neceſſaria ad ipſius effectum, eſt etiam ipſius pars eſſentialis: Ratio autem, cur pręſertim Baptiſmus inter alia ſacramenta poſſit eſſe validũ, & informe, & gratiã conferre, recedente fictione, non autem pęnitentia, eſt, quia ut docet Scot. *d.1.q.5. ſub lit. D.* eſt medium ad ſalutem neceſſarium ſc. ad remiſſionẽ originalis culpæ, & peccatorũ mortalium antecedentium, quarè cùm ſemel ſuſceptus iterari non poſſit, ne præcludatur via ſalutis, neceſſariò dicendum eſt, eundem baptiſmum cum obice ſuſceptum, habere poſteà vim remittendi illa peccata ablato obice, atq; adeò conferendi tunc gratiam ſanctificantem, quæ neceſſitas de ſacramento pęnitentię non urget, cùm iterari poſſit. Ad Conf. negatur ſecũda conſequentia, in cujus probatione ſupponitur falſũ, quòd ſc. dolor eſſentialis ad validitatem hujus ſamenti requiſitus nõ debeat neceſſariò eſſe ſupernaturalis, qualis requiritur ad effectũ, ſeſt ſufficiat naturalis quod conſtat eſſe falſum ex dictis *n.398.* nam etiã dolor ad eſſentiã hujus ſacramenti requiſitus debet eſſe ſupernaturalis ex Trid. *ſeſſ.14.c.4. ibi cit.* Ad ult. negatur aſſumptũ, ad cujus probationem dicendum eſt, ſacramenta ſuum effectum cauſare ad inſtar cauſarum naturalium, quæ ſtatim ac ſunt, ſi impedimentum non habeant, ſuum effectum cauſant.

397 Secundo obiiciunt, quia tunc datur ſacramentũ pęnitentiæ informe, ſed validum, quando pœnitens bona fide, & inculpabiliter recipit pęnitentiæ ſacramentum ſine dolore requiſito ad fructũ iſtius ſacramenti; quia quando nihil aliud deſideratur in ſacramento pęnitentiæ præter talem dolorem, bona fide prætermiſſum, adſunt omnia neceſſaria ad eſſentiam, & ſubſtantiam ſacramenti, & conſequenter ſacramentum ſubſiſtit, quamvis ſit informe. Conf. quia tunc Sacerdos adhuc verè abſolvit ergo pęnitens recipit abſolutionem; ſed non recipit gratiam, cùm non adſit diſpoſitio ad illã ſufficiens, quæ eſt contritio, vel attritio ſupernaturalis, ergo recipit abſolutionem informem, ſeù ſacramẽtum informe in tali caſu. Tandem non minùs neceſſaria eſt pęnitentia poſt peccatum perſonale, quàm Baptiſmus poſt originale, ſicut enim ad remiſſionẽ hujus requiritur baptiſmus in re, vel in voto, ita ad remiſſionem illius pęnitentia in re, vel in voto; ergo ſicut ob hanc neceſſitatem baptiſmus dari poteſt validus, ſed informis, qui gratiam poſtea conferat recedente fictione, ita quoque pęnitentiæ ſacramentum.

398 Reſp. negando antecedens, ſi ita intelligatur, ut confitens bona fide accedat abſque omni prorſus dolore, ſi nimirùm neſciat requiri dolorem, aut non advertat ad eliciendum doloris actum, & bona fide confiteatur; nam aliquis dolor eſt prorſus neceſsarius ad eſsentiam confeſſionis ſacramentalis, ut diſtinctæ à ſimplici narratione hiſtorica, nam ad valorẽ hujus ſacramenti requiritur omninò accuſatio, & non ſufficit ſimplex narratio; ſi verò intelligatur, confitentem accedere cum ſolo dolore naturali, ſeù ordinis naturalis, bona fide prætermittendo dolorem ſupernaturalem ad effectũ hujus ſacramenti requiſitum, adhuc etiam negatur aſſumptum, quia non tantùm ad effectum, ſed etiam ad valorem hujus ſacramenti requiritur dolor ſupernaturalis, qui ſit donũ Dei, & ex impulſu Spiritus ſancti ex Trid. *loc. cit.* Ad Conf. pariter negatur aſſũptum ob eandem rationem, quia non tantùm ad effectum, ſed etiam ad valorem ſacramenti requiritur cõtritio, vel attritio ſupernaturalis, undè tali dolore deficiente deficit etiam materia neceſsaria hujus ſacramenti, quantuncunque id inculpabiliter, & ex bona fide ſuccederet; ſicut & in omni alio ſacramento, ſi non adhibeatur materia ad ſubſtantiam neceſsaria, ut in baptiſmo aqua naturalis, quamvis talis defectus ex inculpabili errore contingeret, verè ſacramẽtum non conficeretur. Ad ultimum conceſso antecedente negatur conſequentia, quia pęnitentia iterari poteſt, non baptiſmus, atque ita duplici illi neceſſitati ſufficienter à Deo proviſum eſt, ſed diverſimodè in caſu fictionis, & obicis, nam neceſſitati gratiæ baptiſmalis proviſum eſt in tali caſu, conferendo gratiam virtute baptiſmi recedente fictione, neceſſitati verò gratiæ pœnitentialis proviſum eſt inſtituendo ſacramentum iterabile.

399 Tertiò obiiciũt, quia id non repugnat ex parte formę abſolutionis ſacramẽtalis, nam licèt ſacramentum ſit informe, poteſt adhuc ſufficienter verificari, & verum reddere ſenſum, etiamſi tunc gratia non conferatur, ſed tantùm poſteà ablato obice; nam etiam in conferendo ordine ſacerdotali quoad poteſtatem remittendi peccata, & in cõferẽdo ordine Epiſcopali dicitur: *Accipe Sp. Sanct.* quod utique intelligitur pęnès gratiam internam; unde hæc quoque ordinationis forma expreſsè ſignificat ipſum effectum gratiæ, & tamen adhuc poteſt eſse omninò valida, & carere tunc effectu gratiæ. Deindè non repugnat ex parte materiæ, quia licèt materia hujus ſacramenti conſiſtat in actibus pęnitentis, poteſt tamen hujuſmodi dolor talem habere latitudinem, ac diverſitatem, ut aliquis dolor ſit ſufficiens ad validitatem ſacramẽti in ratione materiæ, ſed non in ratione diſpoſitionis ad effectum gratiæ; nã etiam in aliis ſacramentis requiritur hic dolor in homine habente cõſcientiam mortalium peccatorum, vel ſaltem attritio, ut in Baptiſmo, vel etiam contritio in aliis, non præmiſsa confeſſione, & tamen in iis non habet rationem materiæ, ſed tantũmodò diſpoſitionis; ſic ergo & in hoc pęnitentiæ ſacramento poteſt requiri quædam doloris perfectio ſolùm in ratione diſpoſitionis ad effectum ultra illã qualitatem doloris, quæ ſit in ratione materię neceſsaria ad valorẽ. Denique addunt, dici etiam poſse, in hoc ſacramento requiri per modum diſpoſitionis communis ad omnem juſtificationem explicitam fidem, & notitiam Trinitatis, & Incarnationis, quæ tamen non requiritur tanquam materia, vel pars neceſsaria ſacramenti, quare ſi quis feciſset aliquas Confeſſiones abſque hac explicita notitia, poſsent hæ eſse validæ, & informes.

400 Reſp. negando aſsumptũ cum ejus probatione quia neque in conferendo ordine ſacerdotali quoad poteſtatẽ remittendi peccata illa verba: *Accipe Spir. Sanct.* ita expreſsè ſignificant eundem gratiæ effectum, ſicut verba abſolutionis ſacramentalis, ſed potiùs poteſtatem remittendi peccata, quæ ſacerdoti communicatur per per alium effectum inſeparabilem, ſcilicet, characterem, ratione cujus poſteà in virtute ſacramenti jam ſuſcepti ablato obice gratia confertur. Ad ſecundum rurſus negatur aſsumptum cum ejus probatione, quia ut conſtat ex dictis *n.392.* Concilia ſimpliciter, & abſolutè loquendo dolorem aſsignant, tanquam materiã hujus ſacramenti neceſsariam; nec duos dolores aſsignant, quorum imperfectior ſufficiat ad valorem ſacramẽti, alter verò perfectior ſit neceſſarius ad effectum, imò eundem dolorem, quem aſsignant ut ſacramenti materiam, dicunt, pęnitentem diſponere ad conſequendam ſacra-

sacramenti effectum, scilicilicet, gratiam sanctificantem, & qui sufficit ad validitatem sacramenti, etiam ad effectum sufficere, in aliis verò sacramentis talis dispositio ad effectum sacramenti requisita ab eorum materia omnino est distincta. Ad ultimum tandem negatur etiam assumptum; quòd scilicet, in hoc sacramento requiratur etiam per modum dispositionis ad ejus effectum consequendum explicita fides, & notitia mysteriorum Trinitatis, & Incarnationis, sufficit enim implicita, & confusa, ut patet in rudibus, & idiotis, ut dictum est *lib.3.disp.6.de fide*.

401 Quartò arguunt, varios casus afferendo, in quibus hoc sacramentũ esse potest validũ, sed informe. Primus casus est, si pęnitens absque ulla sua culpa in integritate cõfessionis deficiat, & adhibita tota debita diligentia adhuc aliquod peccatũ mortale prætermittat; nam in tali casu licèt confessionẽ validã faciat, non tamen reciperet effectũ gratię, quia unũ peccatũ mortale sine alio remittitur. Secundus casus est, si pęnitens bona fide accedat cum sola attritione de suis peccatis, & non cum perfecta cõtritione ex motivo dilectionis Dei super omnia, quia putant, hanc contritionẽ esse saltem de necessitate dispositionis ad obtinendã gratiã, licèt non sit de necessitate valoris ad substantiam sacramenti. Tertius casus est, si pęnitens accedat quidem cum attritione, sed deficiẽte ex parte formalis motivi, cùm enim attritio possit esse ex variis motivis, utpotè ob turpitudinẽ peccati, ob metũ Inferni, vel ob humana incommoda; ideò esse possunt varii modi dicẽdi, quòd attritio ex aliquo de his motivis sufficit ad valorẽ, non autẽ ad effectũ sacramenti. Quartus casus est, si pęnitens accedat cũ dolore solùm per modũ simplicis, & inefficacis displicẽtię absque efficaci retractatione de præterito, & proposito de futuro, nã poterit in tali casu sacramentum sed informe, si pęnitens bona fide accedat invincibiliter, non advertens talem defectum, sed putans, se habere efficacem retractationem de præteritis peccatis, & efficax propositũ de futuro; nã hoc pacto verè, & realiter peccata detestatur, & abhorret, & de iis serio; & ex animo se accusat, tanquam de objecto pravo, ac detestabili, videturque hęc esse verè, & propriè accusatio, quantùm ad substantiam judicii requiritur; licèt ex sua imbecilitate, & inadvertentia deficiat pęnitens ab illa efficacia, & firmitate, quę alioquin ad recipiendam gratiam requiritur, quarè in tali casu sacramentum erit validum, sed informe. Hos, & quosdam alios casus affert Aversa *loc.cit.* quorum quosdam recipit, & approbat, alios verò reiicit, & excludit.

402 Resp. hos omnes casus excludendos esse, nec ullum probare sufficienter posse aliquando hoc sacramentum esse validum, sed informe; Primus quidẽ non sufficienter id probat, quia non apparet qualiter ex defectu inculpabili integritatis confessionis possit esse hoc sacramentum validũ, sed informe; cùm enim ex suppositione fecerit debitam diligentiam, quantam de rigore morali tenebatur non solùm in tali casu confessionem validã facit, sed etiã tunc recipit statim effectũ gratiæ, per quam directè remittuntur peccata cõfessa, & indirectè alia inculpabiliter oblita, ut concedũt Theologi passim, & cõstat ex dictis *n.397.* alioquin difficile nimis esset hujus sacramenti remedium, & nimis aperto periculo expositum carendi effectu, cùm facilè, & frequenter contingat, ut etiam post exactam, & exquisitam diligentiam aliqua peccata commissa in memoriam non redeant, nec fortè posteà amplius in toto vitæ curriculo; Undè paucis exceptis omnes ferè concedunt, ex solo defectu integritatis materialis nunquam confessionem esse posse validam, & informem, vel enim hic defectus accidit ex ignorãtia vincibili à peccato mortali non excusante, & in hoc casu non tantùm informis erit, sed etiam invalida, & repetenda; vel accidit ex ignorantia invincibili, & naturali peccatorũ oblivione, quia post diligens examen memoriæ non occurrunt, & in hoc eventu confessio non tantùm erit valida, sed etiam formata, & fructuosa; atque ideò ex solo integritatis defectu nunquam confessio valida, sed informis dari potest. Nec etiam secundus casus probat intentum, quia ut suprà visum est, ac rursus dicemus *q.seq.* non tantùm ad effectum, sed etiam ad valorem sacramenti sufficit sola attritio, quæ habeat alias conditiones requisitas, quamvis à perfectione contrionis deficiat, itaut etiam accedens cum attritione cognita, ut tali, suscipiat sacramentum, & effectum, ut dictum est *q.6.n.170.*

Nec etiam tertius casus sufficit ad id probandum, quia ut eadẽ *q.6.* dictum est, sola attritio ob turpitudinẽ peccati, vel ob metũ Inferni ex Conc. Trid. tàm ad valorem, quàm ad effectũ sacramenti sufficit, non autem ob humuna incõmoda, ut sic merè sumpta; quia accusatio sacramentalis debet esse talis, quæ participet de genere moris, & retractet præteritam voluntatem, qua homo in peccatum consenserat, & saltem implicitè referatur in Deum, ut super ipsam absolutio cadere possit, attritio verò de peccatis ob humana solùm incommoda non constituit accusationem de peccatis propriè, ut peccata sunt, & moraliter mala, ac detestabilia, sed solùm, ut naturaraliter mala, & incommoda, ac noxia. Nec denique urget quartus casus, quia ea inefficax displicentia, quantùm est ex natura sua, potest secum cõpati absolutam complacentiam, & volũtatem peccadi qua ratione dictum est suprà n. 398. dolorem ad essentiam hujus sacramenti requisitum efficacem esse debere, quia continere debet, & detestationem peccati cõmissi, & propositũ de cætero non peccãdi quod utique efficax esse debet, & absolutum, alioquin omnem peccãdi voluntatẽ non excluderet; Nec juvat dicere, penitentẽ in tali casu bona fide accedere putans invincibiliter, se habere efficacem retractationem de præteritis peccatis, & efficax propositum de futuro, ut urget Aversa *loc.c.* Quia Conc. Trid. ad validã hujus sacramenti susceptionem talem requirit attritionem, *quæ voluntatem peccandi excludat*, talem verò voluntatẽ minimè excludit illa inefficax displicentia, quantũ est ex natura sua, esto à pęnitente putetur efficax, quia talis existimatio nihil ponit in re; ut ergo attritio ad validè suscipiendũ hoc sacramentũ sufficiat, debet esse efficax verè, & realiter, & non tantùm in opinione, & existimatione pęnitentis. Accedit etiam ratio, quia necessitas hujus dispositionis ex parte pęnitẽtis non est tantùm pręcepti oriens ex obligatione, sed etiã medii ex ratione ipsius institutionis hujus sacramenti, quia scilicet, Deus pro materia necessaria hujus sacramenti actus ipsius pęnitentis instituit, non inefficaces, sed efficaces, sed in his, quæ ad sacramentorum valorem sunt necessaria ex ipsorũ institione, non sufficit existimatio, si re vera non exhibeantur, quid enim prodest validitati sacramenti, quòd quis bona fide existimet, se absolvi à Sacerdote, si re vera ille non est sacerdos; ergò ad valorem hujus sacramenti nil prodest existimatio attritionis efficacis, si in re talis non existat.

403 Quintò tandem arguunt, sacramentum pęnitentię posse esse validum in ratione sacramenti, sed informe ex defectu doloris extensivè, & hic est potior casus, quem cum Suarez *disp. 10. sect. 5.* urgent cęteri Recentiores oppositæ sententię; Nam fieri potest ut defectus sit in ipsa attritione extensivè, ut si quis habens duo peccata mortalia v.g. furti, & odii, immemor invincibiliter unius accedat ad sacramentum, & quòd tantùm habeat volorem alterius, quod confiteatur, ex peculiaribus motivis v.g. turpitudinis peccati illius in specie, quod motivũ non extendatur, nec cõplectatur aliud disparatum crimen diversæ rationis, ac speciei invincibiliter oblitũ; tunc enim videtur, sacramentum esse validum, quia habet omnes suas partes essentiales, & continet sufficientem attritionem de peccatis in confessione deletis. Sed non conferre effectum, quia non remittitur illud peccatum, de quo non habetur dolor, nec remittitur alia peccata sine illo, cùm gratia omnia simul remittat, & ita in tali casu sacramentum validum erit, sed informe. Confirm. quia ad essentiam sacramenti pęnitentiæ tantùm requiritur ex parte pęnitentis, quòd confiteatur integrè omnia peccata sua, quorum memoriam habet, cum dolore ipsorum peccatorum, & cum proposito non peccandi de cætero nihil enim aliud petitur in Florent. & Trid. ex parte pęnitentis; sed stat, aliquem sic confiteri, & quòd nihilominus gratiam non consequatur virtute absolutionis, ut in casu adducto; ergo potest dari confessio informis. Tandem probatur, quia dolor, qui requitur ut dispositio ad effectum, seù gratiam sacramenti, non requiritur ad essentiam, & valorem illius, siquidem ad valorem, & essentiam sacramenti, sufficit, quòd sit eorum mortalium, quorum fit confessio, non tamen requiritur, quòd sit aliorum, quorum non fit confessio ob oblivionem naturalem, seù invincibilem; non enim peccat in non dolendo de omnibus, prudenter credens non habere alia peccata mortalia, nisi ea, quæ confiteatur: at ad effectum hujus sacramenti requiritur dolor omnium peccatorum nondùm remissorum, quia in hoc sacramento unum peccatum non remittur sine alio, neque remittitur absque proprio, & expreso actu pęnitentiæ saltem virtualiter in illud tendente, & ob motivum illud compræhendentes: ergo ex defectu doloris extensivè modo prædeclarato potest dari sacramentũ validum pęnitentiæ, sed informe, & sine fructu.

Resp. negando majorem, ut patet ex dictis *n. 397.* nam estò in eo casu pęnitens accedat solùm cum formali dolore unius peccati, & non alterius, cujus supponitur invincibiliter oblitus, adhuc censeri debet confessio illa, nedum valida, sed etiam formata, aliudque peccatũ indirectè cum illo remissum, quia ob sufficientem diligentiam adhibitam censetur promptus ad eliciendum actum doloris etiam circà aliud peccatum inculpabiliter oblitũ, si mẽti occurreret, & consequenter dolor formalis v.g. furti, de quo confitetur, censetur etiam virtualiter extendi ad aliud; quod mẽti non occurrit, talis enim virtualis extensio consistit præcipuè in ea prõptitudine etiam de eo dolendi, quando menti occurreret; Et licèt motivũ doloris formalis furti sit propria ipsius turpitudo in specie, hoc nõ impedit, quin etiam talis dolor possit ad aliud peccatum oblitũ virtualiter extendi saltem ratione turpitudinis genericę, quatenus peccatũ est, & offensa Dei: non enim dolore potest de peccato furti quatenus est furti tantùm, non dolendo de ipso, ut habet rationem peccati, ut sic: nec potest dolere de turpitudine peccati specifica tãtùm, nihil prorsus curãdo de generica: eo autẽ ipso, quòd dolor formaliter attingit in furto turpitudinem peccati genericã in specifica inclusam, terminatur etiam virtualiter ad peccatũ oblivioni traditũ, qui enim dolet de peccato, ut sic, dolet virtualiter de quocumque etiam invincibiliter oblito, & per hãc doctrinam optimè, solvitur argumentum illud, quod est pręcipum oppositę sententiæ fundamentũ, quæ proindè valdè ponderanda est. Ad Conf. negatur minor, quia ob rationem allatam etiam in eo casu confessio non tãtùm valida esset, sed etiã formata, & gratiã consequetur pęnitens,

quia

quia ejus dolor virtualiter extenderetur etiam ad peccata, invincibiliter oblita, modò jam explicato. Ad ultimum negatur major cum ejus probatione, quia ut dictum est suprà *n. 392.* idem dolor, qui sufficit ad validitatem, sufficit etiam ad effectum hujus sacramenti, quia Concilia unum dolorem non distinguunt ab alio, neque duplicem dolorem assignant, quorum unus ad validitatem sufficiat, & alter magis perfectus sit necessarius ad effectum, & licèt ad valorem, & essentiam sacramenti sufficiat dolor formalis eorum mortalium tantùm, quorum fit confessio, nec requiratur, quòd sit formaliter aliorum, quorum non fit confessio ob naturalem eorum oblivionem: adhuc tamen requiritur, quòd saltem virtualiter ad ea extendatur, modo jam explicato, etenim hac virtuali doloris extensione deficiente etiam ad oblita inculpabiliter, estò non peccaret, nõ dolendo de ipsis ob ignorantiam invincibilem, quæ à peccato excusat; non tamen fieret in eo casu validum sacramentum, siquidem deficeret materia necessaria, quæ est dolor reconciliativus cum Deo, talis autem dolor continet saltem implicitè, & virtualiter detestationem omnium mortalium, etiam inculpabiliter oblitorum, ut dictum est *n. 393.*

405 Quæres, an saltem dari possit sacramentum validum, & informe respectu peccatorum venialium. Resp. negativè cum Amico *loc.cit.* dupliciter enim potest de venialibus esse confessio, vel de venialibus solis, vel de venialibus annexum habentibus aliquod mortale, invincibiliter tamen oblitorũ; primo modo certum est, hoc sacramentum non posse esse validum, & informe, vel enim in tali casu accedit pęnitens ad confessionem cum dolore ad essentiã sacramenti sufficiente, vel non; si non, non modò sacramentum erit informe, sed etiam invalidum, ut constat; si primum, jam erit simul validum, & formatum, cùm omnia novæ legis sacramenta statim gratiam afferant obicem non ponenti, habens enim venialia solùm nullum ponit obicem, si accedat cum dolore saltem sufficiente ad remissionem unius venialis, & non omnium, talis enim solus dolor sufficit in cõfessione venialium, ut patebit *q.seq.* secundò modo contendunt Adversarii, dari posse sacramentum de venialibus confessis validum, & informe defectu doloris, non se extendentis suprà mortale invincibiliter ignoratum; Sed hoc etiam esse falsum, satis constaret ex dictis in probatione nostræ sententię quia cùm ad essentiam hujus sacramenti requiratur dolor reconciliativus peccatoris cum Deo, & hic virtualiter extendatur ad omne mortale etiam invincibiliter oblitorũ, utpotè quod esse posset impedimentum talis reconciliationis, sequitur evidenter neque in tali casu dari posse sacramentum validum simul, & informe defectu doloris, cùm omnis dolor ad essentiam hujus sacramenti requisitus sit etiam ad ipsius effectum, ut suprà dictum est.

QUÆSTIO DECIMAQUINTA.

De interiori pœnitentia in confitente requisita, & dispositione ad hoc sacramentum suscipiendum necessaria.

407 IAm suprà diximus *q.11.* hujus *disp.ar.1.* alteram partem materialem, & essentialem hujus sacramenti esse contritionẽ, prout denotat internam animi dispositionem pręter cõfessionem externam, ad quam est dispositio; Verùm quia contritionis nomẽ msgis propriè sumitur pro perfecta animi dispositione, ac detestatione peccati, quę ab attritione distinguitur, ut visum est suprà *q.5. & 6.* & essentialis hujus sacramenti materia, non ad perfectam contritionem restringitur, sed etiam ad attritionem extenditur, ideò volentes in hac quæstione declarare debitam dispositionem ad hoc sacramentum suscipiendum, ad tollendam ambiguitatem, eam in communi nominamus interiorem pœnitentiam confitentis, quæ hanc, & illam sub se compræhendit. Quoniam verò dupliciter potest requiri dolor ad sacramentum pęnitentiæ, uno modo ad constituendam essentiam, alio modo ad consequendum fructum, & effectum ejusdem, qui est gratia; & in præcedenti quæstione determinavimus cum opinione probabiliori, nullum dolorem sufficere ad valorem sacramenti, qui non sufficit etiam ad ejusdem effectum, sive ad gratiam percipiendam; ideò hic absolutè inquirimus, quæ, & qualis dispositio ad hoc sacramentum suscipiendum requiratur non solùm ad effectum, sed etiam ad essentiam hujus sacramenti constituendam; non enim putamus, imperfectiorem dolorem requiri ad essentiam sacramenti, quàm ad ejus effectum, qui enim ad unum sufficit, ad aliud quoque sufficiens erit, ut jam probatum est *qu. præced.* Hujus autem quæstionis decisio pendet omninò ex dictis de Contritione, & Attritione *q. 5. & 6.* & ferè nil aliud addendum esset pręter ibi dicta, nihilominùs ad majorem rei declarationem eorum quæ ibi dicta sunt, adhuc magis explicare, & alia de novo addere, nun erit inutile.

ARTICULUS PRIMUS.

Resolvitur Quæstio.

407 PRimò Dicendum est, aliquem actum interioris pœnitentiæ, seù aliquem dolorem formalem, & expressum esse necessarium non solùm ad effectum, sed etiam ad essentiam hujus sacramenti, ita quòd ut confessio sit valida non sufficit, negativè se habere neque complacendo, neque displicendo, sed omninò requiritur formalis displicentia, & dolor peccatorum. Ita communiter Doct. contrà Silvestr. Rossellam, & alios quosdam Summistas dicẽtes, quòd si quis integrè omnia peccata sua confiteatur, & absolvatur, licèt negativè se habeat formaliter, quoad hoc, quòd complacere, vel displicere de peccatis; nihilominùs verum recipit pęnitẽtiæ sacramentum, imò & gratiam, quia ipsa volũtaria absolutionis susceptio sine obice peccati actualiter voliti, & in quo complaceat est quædam virtualis attritio, quæ sufficit, ut virtute sacramenti gratiam consequatur, quæ opinio solet etiam tribui Scot. *4.d.14.q.4.art.3.* ubi significare videtur, ad hoc sacramentum aliam dispositionem ex necessitate non requiri, nisi voluntatem illud suscipiendi, & sublationem impedimenti, quod esset actualis complacentia, & voluntas peccati. Hæc assertio definita est in Conc. Flor. & Taident. quæ Concilia explicari non possunt de dolore virtuali, nam hic salvari tantùm potest, cùm peccata actu memoriæ non occurrunt, at verò ad sacramentũ Confessionis necessaria est actualis memoria peccatorum, quæ sunt confitenda. Et quidem Trid. *sess. 14. cap. 3.* & 4. postquam definivit, contritionem esse partem sacramenti pœnitentiæ statim explicat, hujusmodi contritionem importare animi dolorem, & peccati detestationẽ; qui autem peccata sua confitendo merè negativè se habet, non dolet verè, & propriè; ergò dolorem non habet ad essentiam hujus sacramenti necessarium, & tanto minùs ad ejus effectum percipiendum. Accedit, contritionem esse partem hujus sacramenti essentialem, & ad ejus essentiam necessariò requisitam, ut suprà dictum est; ergo talis interior pœnitentia per modũ actus formalis, & expressi necessariò requiritur pręsertim ad recipiendum hujus sacramenti effectum, hic enim non causatur, nisi à sacramento essentialiter perfecto; quapropter Vasq. oppositam sententiam non dubitavit appellare erroneam, & contrà omnes Doctores *q. 92. ar. 1. dub. 1.*

408 Neque Doct. oppositum docuit *loc.cit.* nam eadem *d. 14. q. 1. ar. 2.* ex professò docet, peccatum non dimitti, nisi per pęnitentiam, sive per penam volũtariã; pęnitentia autem, ut sæpè diximus, est duplex perfecta, & imperfecta; perfecta est contritio, quæ ex se est sufficiens dispositio meritoria de congruo ad consequendã gratiam, etiam extrà sacramentũ; imperfecta verò, quæ est attritio, nõ est ex se sufficiens, sed cum sacramento pęnitentiæ, & ideò hæc saltem est necessaria dispositio ad hoc sacramentum suscipiendum. Deindè eadem *d. q. 4.* in solutione ad 2. princ. dicit, antè dignam hujus sacramenti susceptionem opus esse, ut peccator suscitetur vel simpliciter, quod fit per contritionem, vel secũdum quid, quod ait, fieri per aliqualem displicentiam de peccato, quæ nimirum est attritio, quod etiam anteà docuerat eadem *d.14.q.2.ar.2.* ubi ait, rursus detestationem peccati esse duplicem; unam, quæ est perfecta, & cum omnibus circumstantiis, quæ est contritio; aliam, quæ est imperfecta, & caret aliqua, vel aliquibus circumstantiis, & est attritio. Quandò ergo inquit *loc. cit.* ad dignè suscipiendum pœnitentiæ sacramentum sufficere, ut pęnitens nec actu, nec virtualiter adhæreat peccato, & quòd habeat voluntatem suscipiendi sacramentum, & abstinendi à peccato, nec requiri aliquod opus internum, absolutè negare noluit, aliquod opus internum requiri, scilicet, dolorem aliquem internum, sed talem dolorem, qui necessariò sit contritio, de qua ibi loquebatur, adeò ut sensus sit, non requiri illam perfectam dispositionem, quæ alioquin est necessaria extrà sacramentum, & ita Doctorem ibi intelligunt, non solùm Faber ex nostris, sed etiam Aversa, Amicus, Caspensis, & alii Recentiores passim, qui ajunt, oppositam opinionem immeritò Scoto tribui, quia expressè communem docuit sententiam non solùm *loc.cit. d. 14.* sed etiam *d. 17. de articulo vers. continet etiam qualiter, & d.19.§.ad qu.vers.concedo ista*, quibus in locis apertè docet, non satis esse ad hoc sacramentum accedere cum sola voluntate illud recipiendi, sed præterea necessarium esse dolorem formalem, & expressum de peccatis commissis, non solùm ad effectum, sed etiam ad essentiam hujus sacramenti.

409 Secũdò dicendum est, ad valorem, & effectum hujus sacramenti non sufficere dolorem de non dolore, sed dolorem, & displicentia de ipsis peccatis esse debere. Hæc etiam assertio communis est contrà Silvestrum, Navarrum, Emanuel Sà, & quosdam alios Summistas dicentes, quòd si quis accedat ad Confessionem nõ sentiens in se verum dolorem suorum peccatorum, nec ad illum cõcipiendum induci possit, debere induci, ut saltem habeat diplicentiam de hoc ipso, quòd nõ habeat illum dolorem, sive ut habeat desiderium habendi illum, & hoc sufficere ad recipiẽdam absolutionem; Hoc autem jam suprà probavimus *q. 6.* hujus *disp. ar. 3. n. 173.* & rursus probatur, quia accusatio sacramẽtalis est de ipsis peccatis; ergo & eorũdem peccatorum detestationem involvere debet & pęnitentia, quæ in Scripturis requiritur, & toties peccantibus inculcatur, planè intelligitur de ipsis peccatis; Quo autem pacto modus ille dicẽdi defendi possit, ibidem jam explicatum est *n. 174.* & fortè non in alio sensu locuti sunt Summistæ illi, Diximus etiã ibidem *n. 176.* minimè opus esse, quòd prædictus dolor confessionem præcedat ordine temporis, ut cõtendunt Coninchius, Lay-

man,